





UC-NRLF
$B 311 099



# DE

# C. JULII HYGINI,

## AUGUSTI LIBERTI,

# VITA ET SCRIPTIS.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE ADIPISCENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI


TRADIT

CHRISTIANUS BERNHARDUS BUNTE,
EXTENO - HASSUS.




MAR ... in Rinteln.
MDCCCXLVI.

Rintelii, typis C. Boesendahlii impr.



Inter viros doctos, qui Augusti imperatoris tempore floruerunt, et familiaritate ac consuetudine ejus usi sunt, prae ceteris nominandus est ejus libertus C. Julius Hyginus. Cujus de vita et scriptis quamquam multi homines docti egerunt,*) tamen nemo inventus est, qui

*) Hygini opera inter alios enumeraverunt Elias Vinetus ad Sueton. de illustr. gramm. cap. 20; Thomas — Pope Blount, Censura celebriorum auctorum (Coloniae Allobrogum 1644) p. 90; G. J. Vossius, de hist. Lat. (edit. 2, Francof. ad Moenum 1677) lib. I, cap. 20; J. A. Fabricius, Biblioth. Lat., ed. Harless, Tom. I, p. 304; et H. Bode (Scriptt. mythogr. tres. E Vatic. codd. primus ed. A. Majus. Rec. et illustr. G. H. Bode. Cellis 1834); fusius de hac re disputaverunt Joh. Schefferus in commentatione de Hygini fabularum scriptoris aetate atque stilo (cf. Augustin. van Staveren, Mythogr. Lat., Lugd.-Bat. et Amstelod. 1742 in praef., ubi et aliorum, ut Jacobi Micylli et Th. Munckeri, de Hygino sententias collectas invenies); Nicol. Antonius (cf. ejus Bibliotheca Hispana Vetus, qui liber editus est a Franzisco Perezio Bayerio Matriti 1788) et G. Ephr. Mueller (historisch-kritische Einleit. zur Kenntniss der latein. Schriftst., Dresden 1747-1751, Tom. V, p. 141-146.)

Ex his vitae Hygini imaginem expresserunt G. J. Vossius l. l., Nic. Antonius lib. cit. p. 1 sqq.; et G. E. Mueller lib. cit. p. 106 sqq. — Nonnulla Hygini fragmenta collegerunt Antonius Riccobonus Rhodiginus in libro De historia (Basileae 1579) et W. H. D. Suringarius in Hist. crit. scholiast. Lat. (Lugd.-Bat. 1834) T. I P. II, p. 175 sqq.

quaecunque ex ejus libris perditis relicta sunt, colligere, justam hujus viri imaginem exprimere, debitoque eum inter aequales loco restituere susceperit. Fragmenta autem, quae ex diversis doctrinae monumentis Hygini ad nostram aetatem pervenerunt, numero quidem pauca sunt, tamen digna censeri debent, in quibus quis maximam operam atque industriam collocet, quum non pauca in iis inveniantur, quibus aliqua certe ex parte doctrina atque studiorum ratio hujus grammatici cognosci possunt. Et reliquias illas adhuc non majori cura collectas et comparatas esse, eo magis mirandum est, quum controversia illa hominum doctorum de libris, qui vulgo hujus grammatici esse dicuntur, ne nostro quidem tempore composita sit; nam multos etiam nunc dubitare scio, utrum omnino in illis Fabularum et Astronomicon Poëticon libris Hygini aliquid insit, quod liberto Augusti adscribendum sit, nec ne.

Quae quum ita sint, operae pretium mihi visum est, Hygini vitae depingendae ejusque fragmentis colligendis et illustrandis novam curam impendere; et postquam per triennium fere in his rebus perscrutandis operam posui, jam partem eorum, quae de iis annotavi, eruditorum hominum judicio proponam.

Verum antequam ad rem ipsam transgrediar, nonnulla de ordine, quem sequar, dicenda sunt. Primum de Hygini vita exponam, eaque simul afferam, quae de ejus liberto, C. Julio Modesto, constant; deinde reliquias Hygini librorum, qui temporis injuria interciderunt, quantum potero accuratissime enumerabo, meumque, ubi locus detur, judicium dicam; postremo imaginem doctrinae atque eruditionis Hygini paucis adumbrare conabor.

## Cap. I.

### De vita C. Julii Hygini.

In depingenda Hygini vita inprimis sequar Suetonii de Hygino narrationem (cf. ejus lib. de illustr. gramm. cp. 20), ejusque verba, quantopere fieri potest, illustrare conabor. Quae autem apud Suetonium l. l. leguntur, haec sunt: C. Julius Hyginus, inquit, Augusti libertus, natione Hispanus (etsi nonnulli Alexandrinum putant, et a Caesare puerum Romam advectum, Alexandria capta) studiose et audiit et imitatus est Cornelium Alexandrum, grammaticum Graecum, quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi, quidam Historiam vocabant. Praefuit Palatinae bibliothecae: nec eo secius plurimos docuit: fuitque familiarissimus Ovidio poetae et Cajo Licinio consulari historico; qui eum admodum pauperem decessisse tradit, et liberalitate sua, quoad vixerit, sustentatum. Hujus libertus fuit Julius Modestus, in studiis atque doctrina patroni vestigia secutus.

### §. 1.

Primum, ut a nomine initium ducam, pauca mihi dicenda videntur de scriptura nominis Hygini. Cognomen scilicet hoc in libris mscr. et editionibus vario modo

scriptum invenitur. Scribitur enim Hyginus, Hygenus, Higinus, Iginus, Ignius et sic porro; ex quibus omnibus nonnisi formas Hyginus et Hygenus probandas esse censeo. Quando enim etymon hujus nominis respicimus, facile intelligitur, nomen illud Graecam indicare originem*), et ortum esse ex Graecorum vocabulo ὑγεινός, quod per syncopen fit ex ὑγιεινός quemadmodum ex ὑγίεια fit ὑγεία. Vox autem Ὑγεινός Latino sermone sonare potest aut Hyginus aut Hygenus; Romani enim pro ει vel i vel e promiscue scribebant. Atque revera in Veronensium monumentis etiam ambae hae formae inveniuntur. Attamen forma Hyginus, quae in plurimis invenitur inscriptionibus**) et optimis codicibus, multo usitatior fuisse videtur quam forma Hygenus, ideoque sine dubio est praeferenda.

Grammaticum vero nostrum nominatum fuisse C. Julium Hyginum, praeter Suetonium narrat etiam Hieronymus, qui in annotationibus ad Eusebii Chronicon (cf. Angeli Maji Vett. Script. Nova Coll. Tom. VIII, p. 371) sub olympiade 193 haecce annotavit: Gaius Julius Hyginus, cognominatus Polyhistor, grammaticus habetur insignis.“ Quibus Hieronymi verbis simul comperimus,

*) Nomen Hygini Graecae esse originis censet etiam Phocas gramm. (cf. Corpus gramm. ed. Putsch p. 1702), hisce verbis utens: Secundae declinationis sunt Graeca masculina vel feminina, quae os syllaba brevi terminantur, o littera in u mutata, ut hic Homerus, ri: Iginus, Igini: Tyrus, Tyri.‹ etc.

**) Cf. inscr. urnae in commentario Joh. Rhodii in Scribonium Largum (Patavii 1665) p. 77; Gruteri Thes. inscriptt. (Amstelod. 1707) Tom. I, p. 112, nr. 3; p. 872, nr. 11; p. 935, nr. 8; p. 938, nr. 13; p. 956, nr. 12; p. 957, nr. 5; p. 1033, nr. 13; p. 1045, nr. 1; p. 1077; Muratori, Corp. inscriptt. Tom. II, p. 996, nr. 1; 1178, nr. 6.

Hyginum etiam vocatum esse Polyhistorem; nec indignum profecto hoc nomine censendum puto Augusti libertum, quoniam demonstrari potest, eum aeque ut Cornelium Alexandrum et M. Terentium Varronem, qui hoc nomine in antiquitate celebrati sunt, plurimis atque optimis artibus ornatum fuisse. Attamen pro vera haec narratio non accipienda videtur, quoniam Hieronymus unicus ejus auctor est. Hieronymus autem, cujus praecipuus fons est Suetonius, eorum, quae Suetonius de Hygino tradit, non recte meminisse videtur, et existimavit fortasse, Suetonii verba ad Alexandrum spectantia: quem propter antiquitatis notitiam Polyhistorem multi vocabant" de Hygino dicta esse.

## §. 2.

De patria Hygini apud nullum alium veterum scriptorum aliquid invenies, quo Suetonii narratio aut refutetur aut comprobetur; ei tamen de hac re omnem fidem tribuendam esse nullus dubito. Potuit enim Suetonius, qui non ita multo post Hyginum vixit, de origine ejus certa habere testimonia; atque videtur profecto ejus narratio, Hyginum Hispanum potius natione fuisse quam Alexandrinum, eo probari, quod Hyginus Latino sermone plurima doctrinae monumenta condidit, Graeco autem, quoad ex fragmentis conjectura capi potest, nulla. Vix autem probabile est, Hyginum, si inter Graecos natus fuisset, adeo oblitum esse patriae, ut non aliqua e tot operibus, quorum notitia ad nos pervenit, patria lingua confecerit.

Narratio autem illa a Suetonio repudiata, Hyginum Alexandriae natum fuisse, nonnisi ex errore orta esse videtur. Verisimile enim est, Hyginum propter industriam, qua Alexandrum Polyhistorem imitatus esse dicitur,

nominatum fuisse Alexandreum, et ex hac appellatione male intellecta ortam esse famam, Hyginum natione esse Alexandrinum.

§. 3.

Jam mihi disputandum est de necessitudine, quae inter Alexandrum Polyhistorem *) et Hyginum nostrum intercessisse videtur. Utrum enim Hyginus Alexandrum Romae audierit, nec ne, magna est inter viros doctos dissensio. Dijudicanda est haec quaestio inprimis secundum lectionem, quae apud Suetonium l. l. invenitur. In plurimis editionibus ibi leguntur verba: „studiose et avide imitatus est (Hyginus) Cornelium Alexandrum"; atque si ita legimus, sensus est, Hyginum magna cum sedulitate grammaticum istum Graecum in doctrina adaequare studuisse. Nec revera desunt, quibus hanc lectionem defendere possis; demonstrari enim potest, Suetonium a tali adverbiorum copulatione minime abhorruisse. Ita, ut pauca exempla afferam, in Domitiano cp. 8 legitur: diligenter et industrie; in Nerone cp. 23 trepide anxieque; in lib. de ill. gramm. cp. 4 diligenter et acute scienterque. Nihilominus tamen lectio, quae nostro loco invenitur, non probanda videtur; unicuique enim apparet, vocem avide h. l. offensionis aliquid in se habere, quum non intelligatur, cur Hyginus grammaticum illum Graecum tanta sedulitate imitatus sit.

Unde equidem antiquiorem potius lectionem: studiose et audiit et imitatus est Al. Polyh.", quam inter recen-

*) Non confundendus est hic Alexander cum aliis hujus nominis viris, ut Alexandro Ephesio (de quo doctissime, ut solet, egit A. Meineke in Analectt. Alexandrinis, Berol. 1843, p. 371-377) vel cum Alexandro Cotyaensi, qui mortuus est Romae anno 169 p. Chr.

tiores Suetonii editores Baumgarten-Crusius iterum in textum recepit, probandam esse censeo. Sunt quidem viri docti, quibus nec haec lectio placet, inter quos nominandus est Joseph. Rauch, qui in dissert. inaug. De Cornelio Alexandro Polyhistore (Heidelbergae 1843), Casaubonum sequens, p. 10 contendit, falsam esse etiam hanc lectionem, verbaque et audiit e textu ejicienda esse, quum probabile non sit, Alexandrum, qui, Suida teste (s. v. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος*) Cratetis Mallotae fuerit discipulus, et circa annum 164 a. Chr. natus esse videatur, Hygini tempora assecutum esse. Attamen Rauchii de tempore, quo vixerit Alexander, sententia minime probanda videtur. Verba enim Suidae ἦν δὲ γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν quid valeant, Rauchius non recte perspexit; nam non ita debent ea intelligi, ac si Alexander ipsius Cratetis Mallotae discipulus fuerit, sed hoc tantum indicant, eum sectatorem scholae Crateteae fuisse. Unde nec dubitandum erit, Alexandrum non anno 164 a. Chr., sed multo postea natum fuisse. Mortuus autem est Alexander fortasse ineunte seculo octavo post Urbem conditam; cui quidem sententiae Suidae verba non repu-

*) Quae apud Suidam s. v. Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος leguntur, haec sunt: Ἀλεξ. ὁ Μιλήσιος, ὅς πολυΐστωρ ἐπεκλήθη καὶ Κορνήλιος· διότι Κορνηλίῳ Λεντούλῳ αἰχμαλωτισθεὶς ἐπράθη καὶ αὐτῷ παιδαγωγὸς ἐγένετο· εἶτα ἠλευθερώθη. ἦν δέ ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τῶν Σύλλα χρόνων καὶ ἐπὶ τάδε. ἀνῃρέθη δὲ ἐν Λαυρενταῖς, ὑπὸ πυρὸς τῆς οἰκίας φθαρείσης. καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Ἑλένη μαθοῦσα τὸ συμβὰν ἀπήγξατο· ἦν δὲ γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν. Οὗτος συνέγραψε βιβλία ἀριθμοῦ κρείττω, καὶ περὶ Ῥώμης βιβλία πέντε. ἐν τούτοις λέγει, ὡς γυνὴ γέγονεν Ἑβραία Μωσώ, ἧς ἐστι σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις νόμος.

gnant, qui tradit l. l., Alexandrum floruisse ἐπὶ τῶν Σύλλα χρόνων καὶ ἐπὶ τάδε, h. e. Sullae temporibus et post Sullam mortuum.

Quae quum ita sint, non video causam idoneam, cur apud Suetonium antiquiorem illam lectionem: studiose (Hyginus) et audiit *) et imitatus est **) Alex. Polyhistorem" improbemus; ideoque statuendum puto, Hyginum, a C. Julio Caesare Romam adductum, Polyhistorem audiisse et postea in scriptis imitatum esse.

Quum autem Romam adduceretur Hyginus, et Alexandri scholis interesset, aetate jam provectiori fuisse vi-

*) Probabile est, Julium Caesarem Hyginum servum, cujus ingenium et litterarum studium cognoverat, Alexandro Polyhistori instituendum tradidisse, posteaque Octaviano, quum hunc heredem institueret, una cum reliqua hereditate dono dedisse.

**) Quaeri potest, quomodo verba Suetonii: et imitatus est A. P. intelligenda sint. Hyginum Alexandri opera exscripsisse, vel in Latinum sermonem transtulisse (quod Fabricius, Bibl. Lat. Tom. I, p. 303 ed. Harless, et Rauchius l. l. p. 31 sumunt), nulla re probari potest. Videbimus enim infra, Hyginum fere in omnibus, quos scripsisse traditur, libris utriusque, et Graecae et Latinae, linguae scriptoribus usum esse; praeterea nec inscriptiones et argumenta Hygini librorum eadem fuisse videntur quae Alexandri scriptorum. Equidem igitur verba illa Suetonii intelligenda potius censeo de doctrinae studiis, quibus Hyginus, Alexandrum sibi exemplum proponens, incumbebat, deque ratione, quam in iis tractandis secutus est. Ambo enim viri, Alexander et Hyginus, incubuisse videntur eidem studiorum rationi, quam plurimi Alexandrinorum et Pergamenorum hominum doctorum secuti sunt; maximeque in mythis colligendis et etymologiis statuendis (cf. quae infra de Hygini libro de Italicis urbibus disputabo) similes sibi fuisse censendi sunt.

detur; Suetonius enim l. l. sententiam illorum refutat, qui statuerant, Hyginum puerum Alexandriae captum et Romam adductum esse. Causam quidem, cur eam non comprobet, Suetonius non addidit; persuasum tamen mihi habeo, eum, qui diligentissimus erat in exquirendis temporibus, propter causam chronologicam sententiam illam repudiasse. Et revera Hyginus, si anno 707 U. c. puer adhuc esset, illoque tempore a Caesare Romam adduceretur, non potuit Alexandrum audire, qui, ut vidimus, Sullae temporibus floruisse dicitur. Hyginum autem Alexandrum audiisse, certis auctoribus Suetonio compertum erat.

## §. 4.

»Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.«

Paulo fusius de amicis, quibus usus est Hyginus, agendum est. Amicitiam coluisse videtur Hyginus primo loco cum Augusto imperatore, qui eum propter ingenium et litterarum studium manumisit et bibliothecae Palatinae praefecit. Ex eo autem, quod gratia hujus imperatoris tantopere exceptus est, concludere sane possumus, eum doctrina atque eruditione satis insignem fuisse; Augustus enim, qui fuit homo doctus optimisque artibus ornatus, in numerum illorum principum referendus est, qui prae ceteris et indolem atque ingenium hominum perspicere possunt, et virorum insignium merita bene sciunt aestimare, quod in Virgilio, Horatio aliis satis demonstravit.

Verum non solum Augustum imperatorem Hyginus amicum habuit, sed omnino familiaritate ac consuetudine clarissimorum illius temporis virorum usus esse videtur. Arcta enim familiaritate, Suetonio teste, inter alios complexus est Ovidium poetam.*) De qua Ovidii cum Hy-

*) Ex amicitia, quam Ovidius cum Hygino conjunxisse dicitur,

gino amicitia non praetermittenda est conjectura quaedam D. Salvagnii Boessii *), qui censet, amicum, de cujus infidelitate Ovidius in Ibide acerbe queritur, nullum alium esse nisi Hyginum. **) Et revera nonnulla esse, quae huic sententiae convenire videntur, negari non potest; unde ex causis, quibus nititur Boessius, nonnullas afferam. Primum putat, epistolam tertiam libri quarti Ponticorum, quae ad Ibidem scripta videatur, non male convenire in Hyginum, atque simili modo ut in hac epistola eundem etiam in Ibide perstringi. Aliud ejus argumentum nititur versibus Ibidis 418 sqq. (edit. Merkel.), quos ad Hygini paupertatem, de qua Suetonii exstat testimonium, bene quadrare demonstat. Praeterea appellationem Cinyphii, hoc est Africani ad Cinyphum flumen nati, ideo de Hygino interpretari posse censet, quod ille a nonnullis Alexandriae natus esse dictus sit. Denique

explicationem fortasse habet magna illa doctrinae copia, quae in nonnullis Ovidii operibus, ut in Metamorphoseon libris et Fastis, comparet. Hyginum enim amicum in rebus, quas ipse rectius calleret, consilio sublevasse, eique res mythologici, historici, critici aliusque argumenti proposuisse, per se jam verisimile est, et apparere videtur ex Ovid. Trist. lib. III, eleg. 14 v. 39 sq.; de quo carmine proxime statim paucis agam. Ceterum locos indicare, in quibus Ovidius Hygini sententiam sequi videtur, propter paucitatem Hygini fragmentorum difficillimum est.

*) Cf. Salv. Boessii Commentar. in Ovidii Ibin (Lugd.-Bat. 1633). Prolegomena huic libro praemissa inveniuntur etiam in Burmanni editione Opp. Ovidii, Tom. IV, p. 1-16. Praeterea Boessii de Hygino sententiam breviter attigit Merkelius in edit. Ov. Ibidis, p. 388 sqq.

**) Idem contendit Fuhrmann (Hdbuch. der class. Litteratur Tom. III, p. 899), sed causas non attulit.

affirmat, nullam apud Ovidium Hygini fieri mentionem, nullamque epistolam ad eum scriptam inveniri. *).

Haec fere sunt, quibus Boessii conjectura nititur. Vides, satis ingeniose eam excogitatam esse, et magnam habere, qua primo adspectu se commendet, speciem veri; ceteroquin causae, quibus ea fulta est, minime possunt sufficere; (cf. Merkel. in edit. Ibidis p. 389 sq.) maximeque illud mihi obstare videtur huic sententiae, quod Suetonius, qui sine dubio de Hygino auctoribus haud incertis usus est, nullo verbo indicavit, amicitiam, quam Ovidius cum Hygino conjunxerat, aliquando turbatam esse.

Praeterea inter Hygini amicos a Suetonio nominatur Cajus Licinius quidam, qui fuerit consularis atque historicus. Quisnam autem hoc nomine significetur, magna est inter homines doctos dissensio; tali enim nomine consularis historicus memoratur nemo. G. J. Vossius (de

*) Non male tamen R. Merkel (cf. ejus edit. Tristium Ovid.) conjecisse mihi videtur, elegiam 14 libri tertii Tristium ad Hyginum referendam esse. Scripta est haec elegia ad amicum quendam, qui ter quinque volumina Ovidii (quibus verbis Metamorphoseon libri designari videntur) Romae in publicum emiserat; pro quo officio Ovidius ipsi gratias dicit, eumque appellat cultorem et antistitem doctorum virorum. Quae quidem allocutio non male in Hyginum convenit, sicuti etiam versus ejusdem elegiae (39 sq.)

Nullus in hac terra, recitem si carmina, cujus
Intellecturis auribus utar, adest.

et 43 sq. Saepe aliquod quaero verbum, nomenque, locumque,
Nec quisque est, a quo certior esse queam.

optime de Hygino intelligi possunt, quoniam in iis indicari videtur persona docti alicujus grammatici, quem Romae aliquando saepius consultaverat poeta, cujusque absentiam in exsilio maxime dolebat.

Hist. Lat. lib. I, cp. 10 et 20) conjecit, nomen Licinii h. l. corruptum et scribendum esse C. Asinii nomen. Et sane neminem fugit, hunc scripsisse historiam belli civilis, et consulem fuisse cum Cn. Domitio Calvino anno 713 U. c. Attamen ex causa chronologica hanc Vossii conjecturam minime probandam censeo. Nam Asinius ille e vita excessit anno 757 U. c., Hyginus autem Tiberii tempora assecutus esse videtur. Unde non potuit Asinius Hyginum usque ad vitae finem sustentare; id quod Suetonius de Hygini fautore asserit. Aliam sententiam protulit Nicol. Funccius (De ling. Lat. Tom. II, p. 287), qui censet, intelligendum esse C. Licinium Caecinam Largum, qui consul fuit cum Tiberio Claudio anno 794 U. c., sed nec hanc sententiam probandam puto, quoniam non constat, hunc opera historici argumenti composuisse. Equidem potius de hac re amplector sententiam, quam mihi nuper communicavit praeceptor dilectissimus Th. Bergkius, qui conjicit, intelligendum esse Clodium quendam, cui cognomen fuerit Licinus, hujusque nomen apud Suetonium restituendum esse; ad quam conjecturam adductus est lectione codicis Lugdunensis, in quo aperte legitur: "— Clodio Licinio — — historico". Quem Clodium non diversum esse putat ab illo, cujus lib. 3 rerum Roman. Livius lib. XXIX, cp. 2 citat, sicuti ab eo, cujus ἔλεγχος χρόνων a Plutarcho (Num. cp. 1) commemoratur. Non traditur quidem, hunc Clodium fuisse consulem, vir tamen consularis (quo nomine Suetonius Hygini fautorem appellat) primis, quibus imperatores regnabant, temporibus etiam is dici solebat, qui provinciam administraverat.

Postremo etiam Virgilius inter amicos Hygini referendus est, quod colligo ex Columella, qui lib. I, cp. 1 §. 13 scriptores de re rust. enumerans, haecce profert: — — mox Virgilium (sc. memoremus), qui carmine quoque

potentem fecit (agricolationem), nec postremo quasi paedagogi ejus meminisse dedignemur Julii Hygini". Nam errare me non puto, si statuo, verba Columellae: quasi paedagogi ejus" de arctiori, quae inter Virgilium et Hyginum intercedebat, necessitudine intelligenda esse. Atque videtur Virgilius, ut et Ovidius, non solum saepissime grammaticum hunc consuluisse, sed etiam diversis ejus doctrinae monumentis usus esse. *)

## §. 5.

Romae vero degens Hyginus non solum libris componendis operam navabat maximam, sed etiam aliis negotiis incubuit. Fuit enim, Suetonio teste, etiam praefectus bibliothecae Palatinae. **) Ex hac autem Suetonii narratione duo maxime concludi possunt. Primum, quoniam verisimile est, Hyginum fuisse primum hujus bibliothecae praefectum, concludere inde possumus, eum illo tempore, quo condita est haec bibliotheca (726 U. c.) jam diu ad virilem aetatem provectum fuisse; tum etiam inde apparet, Hyginum illo tempore inter celeberrimos viros doctos habitum fuisse, quoniam nonnisi viris doctissimis

*) Ni prorsus fallor conjectura, ex Columellae loco (I, 1, 13) antea citato concludi potest, Virgilium in componendis Georgicis Hygini operibus de re rust. et de apibus usum esse; itemque ex Servio ad Aen. V, 389 dilucide apparet, Virgilium in Aeneide scribenda Hygini libro de familiis Trojanis (de quo conferas, quae infra disseram) usum esse.

**) De bibliothecis Romanorum, maximeque de bibliotheca Palatina paucis egerunt Chr. Falsterus, Quaestt. Roman. p. 117 sqq.; et Joh. Lomeierus De bibliothecis (Ultrajecti 1680, edit. 2) p. 97 sqq. Fusius de hac re disputaverunt Lipsius in Syntagm. de biblioth., et Lursenius in libro eleganti de templo et biblioth., Apollinis Palatini (Franequerae 1719).

vereque eruditis a Caesaribus Augustis bibliothecarum curam delatam esse constat. Satis nota est, ut pauca exempla afferam, doctrina Pompeji Macri, cui Caesar ordinandas bibliothecas delegaverat (cf. Suet. Caes. cp. 56), item Varronis Polyhistoris, qui praefuit bibliothecae in atrio libertatis, et Caji Melissi Spoletini, qui curam gessit bibliothecarum in porticu Octaviae (cf. Suet. de ill. gramm. cp. 21). Praeterea probabile esse videtur, Hygino ob singularem, qua excelluit, doctrinam, utriusque bibliothecae Palatinae, Graecae nimirum et Latinae, curam delatam fuisse. Seriori enim tempore Palatinam Graecam et Latinam seorsim quamque praefectum habuisse, plures indicant inscriptiones (cf. v. c. Lipsius, cp. VI de bibl.).

Non tamen hoc munus Hygino ab imperatore delatum impedivit eum, quominus etiam liberis instituendis (cui negotio omnino grammatici illius temporis incumbere solebant) operam navaret; immo, ut idem Suetonius tradit, discipulorum institutione nactus est magnam nominis famam atque laudem. Nec male conjecisse mihi videtur Nicol. Antonius (libro supra citato p. 2), id ipsum, quod teste Suetonio (de ill. gramm.) de M. Antonio Gniphone et Verrio Flacco constat, scilicet ipsis concessum fuisse, ut pueros in ipso Palatio instituerent, videri etiam de Hygino sumi posse.

## §. 6.

De anno, quo natus et mortuus sit Hyginus, nemo veterum scriptorum aliquid tradidit,*) unde, si volumus

*) Hieronymus Stridonensis ad. Eus. Chron., ut supra vidimus (cf. §. 1) Hyginum in olymp. 193 ponit, sed haec ejus annotatio nullius est momenti, quum constet, Hieronymum annos, quos ad Eus. Chron. annotavit, saepenumero ex arbitrio definiisse.

tempus, quo ille vixerit, certis quibusdam finibus circumscribere, ad conjecturam nobis confugiendum est. Nec desunt profecto, quibus in universum tempus, quo vixerit Hyginus, definiri potest. Vidimus enim supra, eum anno 707 U. c., quo Romam a Caesare adductus videtur, jam diu e pueris excessisse. Unde a vero haud procul abesse puto, si statuam, Hyginum circa annum 680 U. c. natum esse. Vixisse autem videtur usque ad finem imperii Augusti (cf. Ovid. Trist. lib. III, eleg. 14; de quo carmine paullo antea disserui), vel etiam tempora, quibus Tiberius imperii summam obtinebat, assecutus est.

Temporis autem rationem prorsus ii neglexerunt, qui contenderunt, Hyginum etiam Quintiliani tempore vixisse. Fuerunt enim, qui existimarent, M. Fabium illum, cui Astronomicon Poeticon libri, qui Hygini nostri nomine circumferuntur, dedicati sunt, esse Fabium Quintilianum. *) Verum Hyginum, Augusti libertum, Quintiliani tempora non assecutum esse, dilucide, opinor, ex loco aliquo Columellae apparet. Columella enim, qui Romae vixit Tiberio et Claudio regnante, in libro suo de re rust. lib. I cp. I §. 15, postquam Virgilium, Hyginum et Magonem inter eos nominavit, qui ante se de agricultura scripserint, haecce adjicit: nec minorem tamen laudem meruerunt nostrorum temporum viri, Cornelius Celsus et Julius Atticus". Columella igitur Celsum et Julium Atticum aequales sibi esse profitetur, de Hygino autem non tanquam de vivo, sed tanquam de mortuo loquitur.

Si autem Hyginus admodum pauper decessisse traditur, hoc minime nos miros habere potest, quum omnino

*) Primus, qui hoc contendit, fuit Raphael Volaterranus (Comment. urb. XVI); ejusque sententiam inter alios secuti sunt Fabricius et Ephr. Mueller.

constet, grammaticos veteres, quemadmodum et nostrorum temporum scholarum magistros, non valde divites fuisse. Sic Suetonius de ill. gramm. cp. 8 de Orbilio Pupillo haecce narrat: — — docuitque majore fama quam emolumento. Nam jam persenex, pauperem se, et habitare sub tegulis, quodam scripto fatetur". Item de Valerio Catone, Pompilio Andronico, Ter. Varrone et Fabio Quintiliano constat, eos opum abundantia haud gavisos esse.

## §. 7.

## Epimetron.

### *De C. Julio Modesto, Hygini liberto, ejusque scriptis.*

Postremo tradit Suetonius, Hygini libertum fuisse Julium Modestum*), qui in studiis atque doctrina patroni vestigia secutus sit. De quo, quum nemo adhuc disseruerit, quam accuratissime jam exponam.

Scripta quidem hujus viri non supersunt**; nonnulla tamen apud veteres scriptores inveniuntur fragmenta, quae ad indolem ejus scriptorum cognoscendam utilia sunt. Quare digna haec a me existimantur, quae integra afferantur.

Primum ex ejus scriptis commemorantur Quaestiones

*) Non confundendus est hic Modestus cum Aufidio Modesto, qui Virgilium interpretatus est. Citatur hic v. c. a Servio ad Virg. Georg. I, 378 et a Philargyrio ad Georg. II, 479; breviterque de ipso disseruit Suringarius, v. cl., in hist. crit. schol. Lat. p. 237-239.

**) Libellus de vocabulis rei militaris, qui nunc exstat Modesti nomine insignitus, juniorem habet auctorem, qui post Vegetium, quem in multis eum exscripsisse verisimile est, vixit (cf. de hoc libro Chr. F. Baehr, Geschichte der römischen Literatur, Karlsruhe 1828, p. 492.)

confusae apud Gellium in Noct. Att. III, 9, qui ex iis narratiunculam affert de equo Sejano. Verba ejus haec sunt: Gabius Bassus in Commentariis suis, item Julius Modestus in secundo Quaestionum confusarum historiam de equo Sejano tradit dignam memoria atque admiratione. Cn. Seium quempiam fuisse scribunt, eumque habuisse equum natum Argis in terra Graecia, de quo fama constans esset, tanquam de genere progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuissent; quos Hercules, Diomede occiso, e Thracia Argos perduxisset. Eum equum fuisse dicunt magnitudine invisitata, cervice ardua, colore phoeniceo, flora et comanti iuba; omnibusque aliis equorum laudibus quoque longe praestitisse; sed eundem equum tali fuisse fato sive fortuna ferunt, ut quisquis haberet eum possideretque, ut is cum omni domo, familia fortunisque omnibus suis ad internecionem usque deperiret. Itaque primum illum Cn. Seium, dominum eius, a M. Antonio, qui postea Triumvir reipublicae constituendae fuit, capitis damnatum, miserando supplicio affectum esse: eodem tempore Cornelium Dolabellam consulem, in Syriam proficiscentem, fama istius equi adductum, Argos devertisse, emisseque eum sestertiis centum millibus: sed ipsum quoque Dolabellam in Syria bello civili obsessum atque interfectum esse: mox eundem equum C. Cassium, qui Dolabellam obsederat, abduxisse. Eum Cassium postea satis notum est, victis partibus, fusoque exercitu suo, miseram mortem oppetiisse: deinde Antonium post interitum Cassii, parta victoria, equum illum nobilem Cassii requisisse; et cum eo potitus esset, ipsum quoque postea victum atque desertum detestabili exitio interiisse. Hinc proverbium de hominibus calamitosis ortum, dicique solitum: ille homo habet equum Seianum." — Continebat hic Modesti liber sine dubio variam ac miscellam doctrinam, simili

modo ut Gellii Noctes Atticae. Quod etiam Gellius ipse indicat, quum in praefatione libri sui inter inscriptiones librorum de argumento Noctibus suis haud dissimilium §. 9 etiam commemoret Quaestiones confusas.

Praeterea Modestum pluribus scripsisse de rebus sacris inde collegerim, quod singularem librum De feriis scripsisse traditur; de qua re ante eum inter alios Varro egerat in antiquitatibus rerum humanarum et divinarum. Commemoratur hic liber a Macrobio in Saturn. I, 4 (ubi sermo est de differentia formarum Saturnalium et Saturnaliorum) hisce verbis: Verrius Flaccus in eo libello, qui Saturnus inscribitur, Saturnialiorum, inquit, dies apud Graecos quoque festi habentur, et in eodem libro, Diluicide me, inquit, de constitutione Saturnaliorum scripsisse arbitror. Item Julius Modestus de feriis, Saturnaliorum, inquit, feriae. Et in eodem libro, Antias, inquit, Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert.*) Haec tamen, inquies, auctoritas quaero an possit aliqua ratione defendi. Plane, quatenus alienum non est, committi grammaticum cum sua analogia, tentabo suspicionibus eruere, quid sit quod eos a solita enuntiatione detorserit, ut mallet Saturnaliorum, quam Saturnalium dicere". Quae praeterea apud Macrobium ex Julio Modesto afferuntur, etiam ex ejus libro de feriis desumta esse videntur. Ita lib. I, cp. 10 Modesti verba profert de diva Angeronia. Julius Modestus, inquit, ideo sacrificari huic deae dicit, quod populus Romanus morbo, qui angina dicitur, praemisso voto sit liberatus". Item hunc librum respicere videtur Macrobius in Sat. lib. I, cp. 16, ubi haecce annotata leguntur: Julius Modestus affirmat, Messala augure

*) Secundum hunc locum Antias inter fontes Julii Modesti referendus est.

consulente pontifices, an nundinarum Romanarum nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse, nundinas sibi ferias non videri". Praeter Macrobium hoc Modesti libro etiam Festus usus esse videtur; is enim s. v. Regifugium Julii cujusdam de feriis librum citat, ubi nullum alium nisi Julium Modestum intelligere videtur. Verba ejus haec sunt (cf. Lindemann, Corp. gramm. Tom. II, p. 230): "Regifugium dies notatur in Fast. VI Kal. Martias, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit: quod falsum esse arguit Cincius in libro Fastorum, et Tulius [lege Julius] de feriis, qui Saliares virgines, et Salios adesse dicunt Regi sacrorum, cum facit sacrificium in Comitio, quo facto statim fugit. Quod verum cognoverit esse, qui legerit in Fastis dies fastos, quales notantur sic: Q. Rex C. F. id est quando rex comitiavit, Fas; id est ad Comitium itat; his enim tantum feriis Regi sacrorum in Comitium, nec in aliis ire licet. Qui mos videtur ascitus ex Etruria".

Denique Julium Modestum libros grammaticos seripsisse vel commentarios, quorum inscriptiones tamen ignorantur*), pluribus locis, qui in grammaticorum Latinorum opellis latent, probari potest. Primum ex hujus Modesti libro aliquo Quintilianus in Inst. orat. I, 6 aliquid afferre videtur. Sermo ibi est de etymologiis, et Quintilianus haecce annotat: (§. 36.) — ingenioseque sibi visus est Cajus Granius Coelibes dicere, veluti coelites, quod onere gravissimo vacent, idque Graeco argumento; ἠΐθέους enim eadam de causa dici affirmat. Nec ei cedit Modestus inventione. Nam quia Coelo Saturnus genitalia

*) Julium Modestum in Horatium commentarium composuisse, statuit Th. Bergkius in Actis philologicis Zeitschr. für die Alterthumswiss. inscriptis, a. 1845, fasc. 2, p. 118.

absciderit, hoc nomine appellatos, qui uxore careant, ait«. — Tum a Diomede grammatico (cf. Putsch in Corp. gramm. p. 362) annotatio quaedam Julii Modesti ad etymologiam spectans affertur. Cujus verba haec sunt: Inchoavi ab inchoo. Sic dicendum putat Julius Modestus, quia sit compositum a chao, initio rerum*). At Verrius et Flaccus in postrema syllaba aspirandum probaverunt. Cohum enim apud veteres mundum significat. Inde tractum inchoare. Tranquillus quoque his assentiens, libello suo plenissime aedem incohatam ita disseruit«. — Tum plures loci ex Modesto proferuntur a Charisio in Instit. grammatica. Primum citatur Modestus apud Charisium p. 56, 12 ed. Putsch, ubi haec leguntur: Plurum, Modestus putat non esse dicendum plurium cum i. Ea enim nomina, quae comparanda sunt, genitivo i habere non debent, ut fortiores fortiorum, meliores meliorum, sic plures horum plurum, sed consuetudo plurium cum i dicit. Unde et Terentius in Phormione, Nova hic compluria, dixit«.**) Alia Modesti annotatio commemoratur p. 58, 10: Tus a tundendo sine aspiratione dicitur, quamvis Julius Modestus ἀπὸ τοῦ θύεος tractum dicit«. Tum p. 78, 3 ex eodem Modesto ea afferuntur, quae de differentia vocabulorum large et largiter statuerat. Verba haec sunt: Julius Modestus utrumque recte dici ait, sed large esse qualitatis, largiter quantitatis, unde nascitur largitas aut largitio, nam largitudo nusquam invenitur nisi apud Ne-

---

*) Idem statuit Festus s. v. Inchoare (ed. O. Müller p. 107) Inchoare, inquit, videtur ex Graeco originem trahere, quod Hesiodus omnium rerum initium esse dixerit chaos.

**) Eadem fere haec afferuntur a Charisio p. 100, 17 s. v. Compluria.

potem.*) Postremo Charisius Modestum respicit p. 80, 13: Gulam, inquit, ut Julius Modestus ait, per u scribemus non per y, quae Graecis vocabulis necessaria est, ut Afranius ait in Brundusinis, Degulasse oportuit".

Haec sunt fragmenta, quae ex C. Julii Modesti libris commemorata inveni. Restat, ut de iis, quae ex Quintiliano, Diomede et Charisio attuli, pauca disseram. Spectant, ut vides, haec fragmenta partim ad etymorum explicationem, partim ad declinationem nominum, partim ad scripturam et differentiam vocabulorum. Potuit vero Modestus res illas a me allatas aut in singularibus libris proferre (quemadmodum Gabius Bassus, teste Gellio V, 7 §. 1, De origine vocabulorum disseruit, vel ut Verrius Flaccus librum illum praeclarum de significatione verborum composuit), aut etiam, quod probabilius est, in commentariis ad poetas, quales illo tempore permulti a grammaticis scribi solebant.

Omnino denique ex omnibus, quae attuli, fragmentis similitudo quaedam Modesti cum Hygino, patrono ac praeceptore ejus, apparere mihi videtur. Primum enim vides ex illis, Modestum grammaticis rebus inquirendis et etymologiis statuendis multum incubuisse,**) simulque in rebus ad sacra spectantibus satis magnam peritiam habuisse. Praeterea etiam in scriptis suis fabellas varii generis constipasse videtur. Prorsus simili vero studiorum rationi Hyginum deditum fuisse, fusius infra demonstrabo.

De vita rebusque tamen Julii Modesti neminem ve-

---

*) Eandem hanc differentiam attigit Charisius p. 183, 27 s. v. Large.

**) In etymologiis statuendis Julius Modestus saepius perversis rationibus ductus esse videtur (cf. v. c. frgm., quod ex Quintil. Inst. orat. I, 6 supra adscripsi).

terum scriptorum aliquid tradere comperi, unde haec silentio praetermittenda sunt. Doctrinam autem Modesti respicit Martialis (epigr. X, 21) hisce versibus:

Scribere te, quae vix intelliget ipse Modestus
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, juvat?
Non lectore tuis opus est, sed Apolline libris.
Judice te major Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur; sane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant et sine grammaticis.

Perstringit in hoc poëmate Martialis Sextum quendam, qui obscurius scribendi genus, in quo Cinnam fortasse imitatus est, prosequebatur, eoque procedebat obscuritatis, ut et principes illius temporis grammatici sensum ejus verborum perspicere haud possent. Julium Modestum Martialis tempore satis magnam gloriam adeptum fuisse, sane ex hoc carmine apparet; utrum autem inter Modestum et Martialem familiaris quaedam necessitudo intercedebat, statui non potest.

## Cap. II.

### De scriptis C. Julii Hygini.

Quum praeter ea, quae hucusque commemoravi, nihil fere inveniatur, quod de vita rebusque Hygini nostri lucis aliquid afferre possit, jam ad alteram commentationis partem accedam, in qua opera Hygini, quorum notitia ad nos pervenit, enumerabo eaque, quae de illis statuenda mihi videntur, proponam.

Nominantur apud veteres scriptores plurima Hygini scripta; quum tamen ejus nomen non semper accurate annotatum sit, dubitari nonnunquam potest, num scripta citata revera huic Hygino, liberto Augusti, adscribenda sint. De illo quidem opere etiam nunc servato, quod Gromaticus inscribitur sive de limitibus constituendis, jam diu homines docti ad unum omnes consentiunt, non adscribendum esse huic Hygino, sed viro hujus nominis, qui vixit Antoninorum tempore. Alia vero scripta satis multa a Columella, Plinio majore, Aulo Gellio, Servio, Macrobio aliisque commemorantur, quae sine dubio huic Hygino adscribenda esse censeo. De his nunc sententiam meam exponam, simulque fragmenta ipsorum integra afferam.

Opera autem, quae a C. Julio Hygino profecta esse puto, haec sunt:

# I. Commentarii in Virgilium.

## Frgm. 1.

Gellius, N. Att. I, 21 *) (ed. A. Lion Tom. I, p. 136 sq.): „(§. 1) Versus istos ex Georgicis Virgilii [II, 246] plerique omnes sic legunt: At sapor indicium faciet manifestus, et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaro.“ (§. 2) Higinus autem, non hercle ignobilis grammaticus, in commentariis, quae in Virgilium fecit, confirmat et perseverat, non hoc a Virgilio relictum, sed quod ipse invenerit in libro, qui fuerit ex domo atque familia Virgilii: — — et ora Tristia tentantum sensu torquebit amaror.“ (§. 3) Neque id soli Higino, sed doctis quibusdam etiam viris complacitum: quoniam videtur absurde dici: sapor sensu amaro torquet; cum ipse, inquiunt, sapor sensus sit, non alium in semet ipso sensum habeat: ac perinde sit quasi dicatur: sensus sensu amaro torquet. (§. 4) Sed enim cum Favorino Higini commentarium legissem, atque ei statim displicita esset insolentia et insuavitas illius: sensu torquebit amaro, risit, et Jovem lapidem, inquit, quod sanctissimum iusiurandum est habitum, paratus sum ego iurare, Virgilium hoc nunquam scripsisse, sed Higinum ego verum dicere arbitror“. etc.

## Frgm. 2.

Gellius, N. Att. V, 8. „(§. 1) Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea; laevaque ancile gere-

*) Respicere videntur hunc Gellii locum Servius et Pomponius Sabinus ad Virg. Georg. II, 246. (Pomponii in Virg. commentarium nancisci non potui; loci, quos ex hoc libro citabo, inveniuntur apud Suringarium in Hist. crit. scholiast. Lat. P. II, p. 175 sqq.)

bat". In his versibus [Aen. VII, 187] errasse Virgilium Higinus scribit, tanquam non animadverterit, deesse aliquid hisce verbis: Ipse Quirinali lituo. (§. 2) Nam si nihil, inquit, deesse animadverterimus, videtur ita dictum, ut fiat: lituo et trabea succinctus; quod est, inquit, absurdissimum: quippe cum lituus sit virga brevis, in parte, qua robustior est, incurva, qua augures utuntur; quonam modo succinctus lituo videri potest? (§. 3) Immo ipse Higinus parum animadvertit, sic hoc esse dictum, ut pleraque per defectionem dici solent. (§. 4.) Veluti cum dicitur: M. Cicero homo magna eloquentia, et Q. Roscius histrio summa venustate: non plenum hoc utrumque, non perfectum est: sed enim pro pleno et perfecto auditur. (§. 5.) Ut Virgilius alio in loco dixit [Aen. V, 372]: Victorem Buten immani corpore", id est, corpus immane habentem; et item alibi [Aen. V, 401]: In medium geminos immani pondere caestus Proiecit". Ac similiter [Aen. III, 618 sq.]: — — Domus sanie dapibusque cruentis, Intus opaca, ingens". (§. 6.) Sic igitur id quoque videri dictum debet: Picus Quirinali lituo erat: sicuti dicimus: Fatua grandi capite erat. Et est autem, et erat, et fuit plerumque absunt, cum elegantia, sine detrimento sententiae." *)

*) Eadem fere haec leguntur apud Macrob. in Sat. lib. VI, cp. 8, (p. 612 ed. Zeune) hisce verbis: Gratum mihi est, Avienus ait, correptum quod de optimis dictis male opinabar, sed in hoc versu videtur mihi deesse aliquid: Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea'. Si enim nihil deesse concedimus, restat, ut fiat lituo et trabea succinctus, quod est absurdissimum. Quippe cum lituus sit virga brevis, in parte, qua robustior est, incurva, qua augures utuntur; non video qualiter lituo possit succinctus videri.' etc. Mirum autem est, a Macrobio Avieno cui-

**Frgm. 3.**

Gellius, N. Att. VI, 6. „(§. 1.) Daedalus, ut fama est, fugiens Minoia regna, Praepetibus pennis ausus se credere coelo Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos.“ (§. 2.) In his Virgilii versibus [Aen. VI, 14 sqq.] reprehendit Higinus praepetibus pennis, quasi improprie et inscite dictum. (§. 3.) Nam praepetes, inquit, aves ab auguribus appellantur, quae aut opportune praevolant, aut idoneas sedes capiunt. (§. 4.) Non apte igitur usum verbo augurali existimavit in Daedali volatu, nihil ad augurum disciplinam pertinente. (§. 5.) Sed Higinus nimis hercle ineptus est, cum quid praepetes essent, se scire ratus est: Virgilium autem et Cn. Matium, doctum virum, ignorasse, qui in secundo Iliadis Victoriam volucrem praepetem appellavit in hoc versu: Dum det vincenti praepes Victoria palmam.“ etc.*)

---

dam tribui, quae, Gellio teste, Hyginus dixisse traditur. Quam rem non aliter explicandam puto, nisi statuamus, Avienum grammaticum in Virgilii illo loco explicando Hygini sententiam secutum esse, ejusque causas ad verba in libro suo adscripsisse. Atque Avienum illum non diversum esse conjicio a grammatico, qui inter Virgilii interpretes referri solet, cujusque mentionem facit Serv. ad Aen. X, 272 et 388.

*) Simile quid legitur inter ea, quae a Festo afferuntur s. v. Praepetes (ed. O. Mueller p. 205, 26). Praepetes, inquit, aves quidam dici aiunt, quia secundum auspicium faciant praetervolantes: alii, quod aut ea, quae praepetamus, indicent; aut quod praetervolent. aut ex Graeco tractum putant, quod ante conspectum volent nostrum, inepte ex praepositione Latina componentes et Graeco vocabulo. ceterum poetae promiscue omnis aves ita appellant“. Nec male conjecisse mihi videtur Merkelius ad Ovid. Fast. pag. 94, Verrium Flaccum fortasse ea, quae ex Festo attuli, ex Hygini

Frgm. 4.

Gellius lib. X, cp. 16 „(§. 1.) Reprehendit Higinus*) Virgilium correcturumque eum fuisse existimat, quod in libro sexto scriptum est. (§. 2.) Palinurus est apud inferos, petens ab Aenea, ut suum corpus requirendum et sepeliendum curet; is hoc dicit: Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram Iniice, namque potes, portusque require Velinos“. [Aen. VI, 365 sq.]. §. 3.) Quo, inquit, modo aut Palinurus novisse et nominare potuit portus Velinos, aut Aeneas ex eo nomine locum invenire, cum Velia oppidum, a quo portum, qui in eo loco est, Velinum dixit, Servio Tullio Romae regnante, post annum amplius sexcentesimum, quam Aeneas in Italiam venit, conditum in agro Lucano et eo nomine appellatum est? (§. 4.) Nam qui ab Harpalo, inquit, regis Cyri praefecto, ex terra Phocide fugati sunt, alii Veliam, par-

---

commentario in Virg. desumsisse. Demonstrari enim potest, Festi et alia fragmenta cum iis consentire, quae ex Hygini scriptis servata sunt (cf. v. c. ea, quae Festus s. v. Bidental affert, cum frgm. 5 Comment. Hygini in Virgilium). Praeterea uno in loco Festi (ed. O. Mueller p. 182 s. v. Orba) Ygini nomen legitur, qui nemo alius mihi esse videtur nisi libertus Augustalis.

*) Non omittenda est Servii annotatio ad Aen. VI, 359. „Sane sciendum, inquit, Veliam tempore quo Aeneas Italiam venit nondum fuisse. Ergo anticipatio est, quae, ut supra diximus, si ex poetae persona fiat, tolerabilis est, si autem per alium, vitiosissima est“. Servius igitur, qua in re Virgilius ab Hygino reprehensus erat, sciebat; atque refutat Hygini sententiam, sed nomen ejus non citat. Unde videtur Servius hoc loco, uti et in annotatione ad Virg. Georg. II, 246 (quem locum supra ad frgm. 1 annotavi) Gellium ante oculos habuisse.

tim Massiliam condiderunt. (§. 5.) Inscitissime igitur petit, ut Aeneas portum Velinum requirat, cum id nomen eo tempore fuerit nusquam gentium. (§. 6.) Neque simile, inquit, illud videri debet, quod est in primo carmine: Italiam fato profugus Lavinaque venit Litora. (§. 7.) Et aeque in sexto libro [v. 17]: Chalcidicaque levis tandem superadstitit arce; (§. 8.) quoniam poetae ipsi quaedam κατὰ πρόληψιν historiae dicere ex sua persona concedi solet, quae facta ipse postea scire potuit: sicut Virgilius scivit de Lavinio oppido et de colonia Chalcidicensi. (§. 9.) Sed Palinurus quî potuit, inquit, scire ea, quae post annos sexcentos facta sunt? Nisi quis eum divinasse apud inferos putat, perinde ut animae defunctorum solent. (§. 10.) Sed et si ita accipias, quanquam non ita dicitur, Aeneas tamen, qui non divinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc, sicuti diximus, nullum usquam fuit? (§. 11.) Item hoc quoque in eodem libro reprehendit, et correcturum esse Virgilium putat, nisi mors occupasset. (§. 12.) Nam quum Thesea, inquit, inter eos nominasset, qui ad inferos adissent ac redissent, dixissetque [Aen. VI, 122]: — — Quid Thesea, magnum Quid memorem Alciden? et mî genus ab Jove summo est; postea tamen [v. 617] infert: — — Sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus". (§. 13.) Quî autem, inquit, fieri potest, ut aeternum apud inferos sedeat, quem supra cum iis nominat, qui descenderint illuc, atque inde rursum evaserint; praesertim cum ita sit fabula de Theseo, atque si Hercules eum evellerit e petra, et in lucem ad superos eduxerit. (§. 14.) Item in his versibus [Aen. VI, 838 sqq.] errasse Virgilium dicit: Eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas, Ipsumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli; Ultus avos Troiae, templa et temerata Minervae". (§. 15.) Confudit, inquit, et personas

diversas et tempora. Nam neque eodem tempore neque per eosdem homines cum Achaeis et cum Pyrrho bellatum est. (§. 16.) Pyrhus enim, quem dicit Aeaciden, de Epiro in Italiam transgressus cum Romanis depugnavit adversus Manium Curium in eo bello ducem. (§. 17.) Argivum autem bellum, id est, Achaicum, multis post annis a L. Mummio Imperatore gestum est. (§. 18.) Potest igitur, inquit, medius eximi versus, qui de Pyrrho importune immissus est, quem Virgilius procul dubio exempturus, inquit, fuit". *)

## Frgm. 5.

Gellius, lib. XVI, cap. 6 "(§. 14.) Higinus tamen Julius, qui ius pontificium non videtur ignorasse, in quarto librorum, quos de Virgilio fecit, bidentes appellari scripsit hostias, quae per aetatem duos dentes altiores haberent. (§. 15.) Verba illius ipsa posui: Quae bidens est, inquit, hostia oportet habeat dentes octo, sed ex his duo ceteris altiores, per quos appareat, ex minore aetate in maiorem transscendisse. Haec Hygini opinio an vera sit, non argumentis, sed oculis iudicari potest." **)

Haec sunt fragmenta, quae Gellius ex hoc Hygini libro servavit. Supra annotavi etiam duos locos (con-

---

*) Quae Pomponius Sabinus annotavit ad Virg. Aen. VI, 365; VI, 122 et VI, 838, ex hoc Gellii loco duxisse videtur.

**) Macrobius, qui omnino multa ex Gellio hausit, unde etiam ejus simia vocatus est, et hunc ejus locum exscripsit; ita enim in Sat. lib. VI, cp. 9 (p. 618 ed. Zeune): Hyginus, qui jus pontificium non ignoravit, in quinto librorum, quos de Virgilio fecit, bidentes appellari scripsit hostias, quae per aetatem duos dentes altiores haberent: per quos ex minore in majorem transscendisse constaret aetatem; in quibus verbis pro quinto scribendum videtur quarto.

foras annotatt. ad frgm. 1 et 4), in quibus Servius Hygini sententiam respicit, ubi tamen non ipsum Hygini librum, sed Gellium ante oculos habuisse videtur. Inveniuntur autem apud Servium praeterea nonnulla Hygini fragmenta, quae quidem a Gellio non afferuntur, nihilominus tamen ad Hygini commentarios in Virgilium respicere videntur. Sunt haecce:

Frgm. 6.

Servius ad Aen. II, 15 „Equum —; de hoc equo varie in historiis lectum est; ut Hyginus [et Tubero] dicit: machinamentum bellicum fuit [quod equus appellatur] ut aries et testudo, quibus muri vel discuti vel subrui solent".

Frgm. 7.

Serv. ad Aen. VII, 47 „Sane Hesiodus Latinum Circes et Ulixis filium dicit, quod et Virgilius tangit dicendo [Aen. XII, 164]: Solis avi specimen. Sed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum est Hygini, qui ait, Latinos plures fuisse, ita ut intelligamus, poetam abuti, ut solet, nominum similitudine".

Frgm. 8.

Serv. ad Aen. XII, 120 „Velati Lino — Atqui Feciales et Pater Patratus, per quos bella vel foedera confirmabantur, nunquam utebantur vestibus lineis. Caper tamen et Hyginus hoc loco dicunt, lectionem esse corruptam; nam Virgilium reliquisse affirmant: velati limo. Limus autem est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum".

Fragmentis praemissis jam in universum pauca de hoc Hygini libro disseram. Traditur, ut vidimus, a Gellio in N. Att. I, 21, §. 2, Hyginum quendam grammaticum

commentatum esse Virgilium; eundemque virum Gellius respicere videtur etiam in iis, quae affert lib. V, cp. 8; lib. VI, cp. 6 et lib. X, cp. 16. Non errare me tamen puto, si statuo, virum, quem in omnibus illis locis simpliciter Hyginum vocat Gellius, non diversum esse a Julio Hygino, ex quo nonnulla affert lib. XVI, cp. 6. Primum enim ex eo, quod nomen Julii in hoc tantum loco adjectum invenitur, minime concludi potest, Gellium alium virum ab alio distinguere voluisse; talis enim negligentia saepissime in scriptt. vett. invenitur. Tum etiam praeter Augusti libertum nullus Julius Hyginus, qui ante Gellii aetatem vixerit et grammaticus haud ignobilis fuerit (cf. Gell. I, 21 §. 2), commemoratur. Concludere igitur possumus, Gellium nonnisi hunc in Noctibus suis Atticis, ubi de Virgilio Hyginum citat, respicere.

Alia quaestio est, num opus Hygini de Virgilio, quod Gellius loco antea laudato (XVI, 6) citat, idem sit quod commentarii in Virgilium, quos alio in loco (cf. I, 21 §. 2) dilucide commemorari vidimus. Res facile dijudicanda est. Continebat enim illud de Virgilio opus, ut ex fragmento a Gellio allato concludi potest, nihil aliud nisi annotationes in Virgilium. Quum autem ad veritatem non accedat, eundem virum ad idem opus duos commentarios scripsisse, statuere possumus, hoc opus de Virgilio non diversum esse a commentariis Hygini in Virgilium. Huic sententiae nec inscriptio: libri de Virgilio" repugnat; prorsus enim simili modo saepius in Graecis scriptoribus legitur τὰ περὶ Ὁμήρου, τὰ περὶ Ἀλκαίου etc., ubi commentarios in illos poetas significare volunt.

Praeterea de indole hujus libri, quatenus ex fragmentis cognosci potest, haecce annotanda videntur. Verisimile est, hunc librum non fuisse commentarium perpetuum, ut ita dicam, in Virgilii opera, sed de singulis

tantum locis sententiam suam in eo exposuisse videtur Hyginus, quod colligo ex Gellio XVI, 6 §. 14, qui citat librum quartum operis de Virgilio. Atque videtur in eo minus artem criticam exercuisse,*) quam potius pulchritudines et errores poetae indicasse. Ex erroribus, quos Hyginus in Virgilio deprehendisse putabat, Gellius plures annotavit. Reprehenderat Hyginus Virgilium modo ut orationis tenoris oblitum (cf. Gell. V, 8), modo ut prolepsios veram naturam ignorantem (cf. Gell. X, 16 §. 1 sqq.), modo ut repugnantes inter se res proferentem (ibid. §. 11 sqq.), modo ut tempora et personas confundentem (ibid. §. 14 sqq.), modo denique ut improprie loquentem (cf. Gell. XVI, 6). In quibus tamen erroribus statuendis saepius errasse videtur Hyginus, et Gellius ipse nonnullas ex criminationibus hisce refutavit.**) Non tali vero modo Hyginus in Virgilium invectus esse videtur ut inter alios Carvilius Pictor in libro, cui nomen fuit

*) Idem etiam statuit Th. Bergkius in Actis philologicis, Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft inscriptis, a. 1845, fasc. 2, p. 118, ubi de hoc Hygini commentario omninoque de ejus studiorum ratione haecce annotavit: Hygin ist ein entschiedener Anhänger des Crateteers Alexander, und wie dieser weniger der kritischen Richtung zugethan, vielmehr ist die Polyhistorie bei dem einen wie bei dem andern das charakteristische Merkmal. Dies beweisen insbesondere auch die Überreste der Commentarii Virgiliani des Hygin, obgleich die Kritik nicht ausgeschlossen war (siehe z. B. Gell. I, 21)«.

**) Immo uno in loco Gellius, nimia Hygini subtilitate iratus, ineptum eum appellare haud dubitavit (cf. lib. VI, cp. 6 §. 5); qua tamen reprehensione auctoritatem liberti Augustalis non omnino vult labefactare; nam ipse alio in loco contendit (cf. I, 21, §. 1), Hyginum fuisse grammaticum haud ignobilem.

Aeneidomastix, vel ut Zoilus in Homerum, cujus acerbitas in proverbii consuetudinem venit; sed pluribus in locis, ubi errorem se deprehendisse putabat, annotaverat, se existimare, Virgilium certe locos illos correcturum fuisse, nisi mors eum praeoccupasset (cf. Gell. X, 16 §. 1 et 11). Nonnunquam vero Hyginus, conscius doctrinae, longius progressus est, multaque nimis subtiliter explicasse videtur, ita ut, si contentionem facere velis, eum de hac re fere componere possis cum Prodico sophista, qui etsi differentiis et proprietatibus vocabulorum acute definiendis multum arti rhetoricae profuit, tamen in hoc studio modum nonnunquam excessit, ut constat v. c. ex Platonis Protagora.

Antequam vero longius in enumerandis Hygini scriptis progrediamur, videamus, quid alii de hoc libro statuerint. Priores quidem v v. dd., quantum scio, non dubitaverunt, quin commentarii isti in Virgilium, quos Gellius ab Hygino profectos esse dicit, Augusti liberto adscribendi sint, inter recentiores tamen G. H. Bodium, v. cl., ab hac sententia abiisse vidi (cf. ejus praef. ad tres Mythographos Vatican. p. XIV.). Verba ejus haec sunt: ac ne is quidem Augusti libertus est, quem Virgilio coaetaneum fuisse oportet, nec probabile est, Virgilio adhuc vivente quemquam grammaticum commentarios in Virgilii opera scripsisse".

Sed quis, quaero, contendit, commentarium illum ab Hygino scriptum fuisse vivente adhuc Virgilio? Imo, quamdiu Virgilius vixit, Aeneidem ejus non editam fuisse scimus; ac etiamsi Bucolica et Georgica ipse ediderat Virgilius, tamen ex Gellio plane mihi prodire videtur, commentarium illum (in quo Aeneidem quoque explicuerat) ab Hygino post mortuum demum Virgilium scriptum

fuisse. Usus enim erat Hyginus (cf. Gellius I, 21 §. 2) libro, quem poëta mortuo ab ejus familia acceperat.

Nihil vero nos impedit, quominus statuamus, grammaticum quendam non ita multo post Virgilium mortuum commentarios in ejus carmina confecisse *). Nam etsi Virgilius non tam obscure scripserat, ut inter alios Eratosthenes, in cujus unum librum statim, postquam in lucem prodierat, commentarium scriptum esse scimus, ut modo intelligeretur, quid sibi voluerit scriptor dictione sua docta et obscura, tamen hoc constat, perfecta Virgilii opera post mortem poëtae eodem favore accepta esse, quo Aeneis, quum scribi coepta est, gaudebat; de qua Propertius (cf. Eleg. II, 25, 65) haud dubitavit exclamare:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji,
Nescio quid majus nascitur Iliade.

Unde non solum probabile est, sed multis etiam exemplis probari potest, Virgilii opera jam ipso aevo Augusteo a grammaticis esse tractata, in scholis praelecta, annotationibusque ornata. **)

Alia praeterea causa, quam Bodius l. l. affert, ut demonstret, auctorem commentariorum in Virgilium non fuisse Hyginum, lib. Aug., haec est: res mythicae etiam, inquit, quas Servius Hyginum tractasse refert, non congruunt cum Hygini narrationibus fabularum, v. c. de equo Trojano (cf. Hyg. fab. 108 et Serv. ad Aen. II, 15). Sed nec haec Bodii causa sufficere mihi videtur. Primum

*) Scripsisse videtur Hyginus commentarios in Virgilium paulo ante quam ab Ovidio in Trist. lib. 3, eleg. 14 (de quo carmine antea egi) v. 7 appellatus est vatum studiosus novorum. (cf. Merkel. ad Ov. Fast p. 79.)

**) Virgilium aevo Augusteo in scholis praelectum et enarratum fuisse, e Suetonio scimus de ill. gramm. cp. 16.

enim quaeri potest, num a mythographo, qui in conficiendis libris suis diversissimis fontibus usus est, exspectari possit, eum, quod de mythica aliqua re in uno libro statuerit, etiam in alio proferre. Potuit sane Hyginus in diversis libris, ubi de eadem re agebat, diversos auctores sequi. Praeterea, si Bodius ex fabulis, quae vulgo Julii Hygini esse dicuntur, conjecturam facere vellet, ante omnia ipsi demonstrandum erat, illam fabularum collectionem revera liberti Augustalis esse; sed ipse (l. l. p. XVI) in illam sententiam inclinat, huic Hygino illam farraginem non esse adscribendam.

Vides igitur, quam lubrico fundamento Bodii de hac re sententia nitatur.

Restat, ut et Chr. G. Heynii de hoc libro sententiam attingam, quam protulit in comment. ad Virg. (edit. tert., Lipsiae 1800) Vol. V, pg. 534, ubi de antiquis Virgilii commentatoribus agit. Dubitat Heynius, num Hyginus singularem in Virgilium commentarium scripserit, et probabile esse putat, Hyginum ea, quae a Gellio afferuntur, aliis in libris, ut de urbibus Italicis et de familiis Trojanis, attulisse. Attamen, quum supra viderimus, Gellium duobus in locis (I, 21 §. 2 et XVI, 6 §. 14) tale opus Hygino adscribere, apparet, Heynii de Hygino sententiam probari non posse, etiamsi concedendum est, eum l. l. de aliis, qui vulgo inter commentatores Virgilii nominantur, summo jure statuisse, eos non in singularibus libellis Virgilium commentatos esse, sed potius, quae ex iis ad Virgilium spectantia afferuntur, in aliis grammaticis vel exegeticis libris protulisse.

Quae quum ita sint, vides nullam esse causam idoneam, cur singularem librum, in quo Virgilium commentatus erat, C. Julio Hygino abjudicemus.

# II. Commentarius in Cinnae Propempticon.

### Frgm. 1.

Charisius in Inst. gramm. lib. I, p. 108 ed. Putsch s. v. Iteris: „Julius Hyginus in Cinnae Propemptico: Ab Actio navigantes stadia 40 veniunt in Isthmum Leucadiensium. Ibi solent, iteris minuendi causa, remulco, quem Graece πάκτωνα dicunt, navem traducere.“

### Frgm. 2.

Charisius l. l. p. 109 s. v. Itener: Idem (Julius Hyginus) in eodem: Quaerunt, inquit, etiam nonnulli, quamobrem ejus cura jubeat Actio navigare, quod est e regione traductionis Leucadiensis, et rursus ab Actio circa insulam moneat ire, quam a Corcyra rectum itener ad Leucatam“.

Vocabulum Propempticon ex vulgari quidem sermonis usu *) carmen significat, quod cum libro aliquo aut homine mittitur, a Graeco προπέμπειν, quod significat praemittere vel prosequi euntem; Charisium tamen locis laudatis non carmen, sed opus soluta oratione scriptum respicere unicuique apparet.

Verba autem Charisii (l. l. p. 108): in Cinnae Propemptico“ duplici modo viri docti intellexerunt. Joh. a Wower in libro doctissimo de Polymathia (Lipsiae 1665) cp. 13 p. 143 putat, intelligendam esse descriptionem

*) De notione vocabuli Propempticon paucis egerunt Suringarius l. c. I, p. 264, not. 1; et quos ille citavit, Jul. Caesar Scaliger in Poetica lib. III, cp. 104, et Joh. a Wower de Polymathia cp. 13. Propempticôn scriptoribus ab his commemoratis adjicio Pedonem Albinovanum, qui anno U. C. 769 Propempticon scripsit Germanici.

itineris Cinnae, Hyginumque ea occasione multa Geographica immiscuisse.

Et profecto concedendum est, simplicissimum esse, verba Charisii commemorata si ita intelligamus. Re vero accuratius examinata nonnulla vetant, ne huic sententiae accedam. Primum enim descriptio itineris a Cinna facti Iter quidem inscribi potuit, sed non Propempticon Cinnae. Praeterea verba Hygini: ejus cura", quae in altero, quod attuli, fragmento leguntur, vix commodum praebere videntur sensum, nisi statuas, Hyginum hisce verbis librum quendam Cinnae respicere.

Unde equidem potius Suringarii sententiae (cf. l. l. p. 264) accedo, qui censet, intelligendum esse commentarium Hygini in Helvii Cinnae Propempticon Pollionis, quod scriptum est anno U. c. 714. Non potest quidem probari, Cinnae Propempticon Pollionis aeque obscurum fuisse dictione quam ejus Smyrnam; verisimile tamen est, poetam in utroque carmine obscuritatem affectasse.

## III. De vita rebusque illustrium virorum.

### Frgm. 1.

Asconius Pedianus ad Ciceronis Pisonianam (edit. Lugd.-Batav. 1675, p. 163 sq.): Haec Cicero oratorio more, non historico, videtur posuisse; *) nam multis aetatibus ante Ciceronem nulli id contigisse verum est. Nemini vero unquam antea, videamus ne parum caute dicamus; antiquis enim temporibus pluribus idem contigit.

*) Verba Ciceronis, quae Asconius respicit, haec sunt (cap. 22 orat. cit.): Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam expilaras, quam incenderas, pontifices, consules, patres conscripti collocarunt, mihique, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum censuerunt".

Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio: cujus exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur, hoc est extra privatum aperiretur. Varronem autem tradere, M. Valerio, quia saepius vicerat, aedes in Palatio tributas, L. Higinus *) dicit in libro priore de viris claris: P. Valerio, Volesi filio, Publicolae aedes publicas sub Velia, ubi nunc aedes Victoriae est, populum ex lege, quam ipse tulerat, concessisse tradunt et Antiochi regis filio obsidi domum publice aedificatam, inter quos Atticus in annalibus, quae postea dicitur Lucilii poetae fuisse«.

Frgm. 2.

Gellius, N. Att. I, 14 »(§. 1.) Julius Hyginus in libro De vita rebusque illustrium virorum sexto legatos dicit a Samnitibus ad C. Fabricium Imperatorem populi Romani venisse, et memoratis multis magnisque rebus, quae bene ac benevole post redditam pacem Samnitibus fecisset, obtulisse dono grandem pecuniam, orasseque, uti acciperet uteretur que: atque id facere Samnites dixisse, quod viderent multa ad splendorem domus atque victus defieri, neque pro amplitudine dignitateque lautum paratum esse. (§. 2.) Tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos, et infra deinceps ad nares et ad os et ad gulam, atque inde porro ad ventrem imum deduxisse, et legatis ita respondisse: Dum illis omnibus membris, quae attigisset, obsistere atque imperare posset, nunquam quidquam defuturum: propterea se pecuniam, qua nihil sibi esset usus, ab iis, quibus eam sciret usui esse, non accipere **).«

---

*) Mendose hic legi L. Higinus et scribendum esse Julius Hyginus, jam Vossius annotavit de hist. Lat. p. 103.

**) Johannes Saresberiensis, hoc ipsum Fabricii ex Hygino

Frgm. 3.

Gell. lib. VII, cap. I. „(§. 2.) Nam et C. Oppius et Julius Hyginus, aliique, qui de vita et rebus Africani scripserunt,*) matrem eius diu sterilem existimatam tradunt; Publium quoque Scipionem, cum quo nupta erat, desperavisse. (§. 3.) Postea in cubiculo atque in lecto mulieris, cum absente marito cubans sola condormisset, visum repente esse iuxta eam cubare ingentem anguem; eumque, iis qui viderant territis et clamantibus, elapsum inveniri non quisse: id ipsum P. Scipionem ad haruspices detulisse: eos, sacrificio facto, respondisse, fore ut liberi gignerentur. (§. 4.) Neque multis diebus postquam ille anguis in lecto visus est, mulierem coepisse concepti foetus signa atque sensum pati: exinde mense decimo peperisse, natumque esse hunc P. Scipionem Africanum, qui Hannibalem et Carthaginienses in Africa bello Punico secundo vicit. (§. 5.) Sed et eum impendio magis ex rebus gestis, quam ex illo ostento, virum, esse virtutis divinae creditum est. (§. 6.) Id etiam dicere haud piget, quod idem illi, quos supra nominavi, litteris mandaverint, Scipionem hunc Africanum solitavisse noctis extremo, prius quam dilucularet, in Capitolium ventitare, ac iubere aperiri cellam Jovis, atque ibi solum diu demorari, quasi consultantem de republica cum Jove; aeditumosque eius templi saepe esse demiratos, quod solum id temporis in Capitolium ingredientem canes, semper in alios saevientes, neque latrarent eum neque incurrerent. (§. 7.) Has vulgi de Scipione opiniones confirmare atque approbare

factum laudans (Polycrat. s. de nugis Curialium V, 7) Gellii hunc locum ante oculos habuit.

*) Fortasse etiam ea, quae a Gellio III, 4, 1 ex libris de vita P. Scipionis Africani afferuntur, ad Hyginum spectant.

videbantur dicta factaque eius pleraque admiranda. Ex quibus est unum huiuscemodi. (§. 8.) Assidebat oppugnabatque oppidum in Hispania, situ moenibusque, ac defensoribus validum et munitum, re etiam cibaria copiosum, nullaque eius potiundi spes erat, et quodam die ius in castris sedens dicebat: atque ex eo loco id oppidum procul visebatur. (§. 9.) Tum e militibus, qui in iure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more, in quem diem locumque vadimonium promitti iuberet; (§. 10) et Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem protendens: Perendie, inquit, sese sistant illo in loco: atque ita factum. (§. 11.) Die tertio, in quem vadari iusserat, oppidum captum est: eodemque die in arce eius oppidi ius dixit." *)

Scripsisse Julium Hyginum opus De vita rebusque illustrium virorum, traditur, ut vidimus (cf. frgm. 2) a Gellio I, 14, 1. **) Nec alium librum respicere mihi videtur Asconius Pedianus l. l. (cf. frgm. 1), Hyginum in libro priore de viris claris citans.

Bodius quidem in praef. libri supra commemorati contendit, et opere hoc et nomine scriptoris non respici libertum Augusti, equidem tamen non video causam idoneam, cur hoc statuamus. Primum enim constat, in-

---

*) Nonnulla, quae in hoc capite Gellii ex Hygino afferuntur, breviter narrat etiam Aurelius Victor, de viris illustr. urbis Romae, cp. 49.

**) Inter eos, qui de viris illustribus scripserint, Hyginum refert etiam Hieronymus in prooemio De Scriptt. Ecclesiasticis, ubi haec leguntur: de viris illustribus scripserunt apud Graecos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus vir doctus, et longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus; apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus et Tranquillus".

scriptiones librorum apud vett. scriptores non semper accurate annotatas legi, quod etiam supra de Gellio monui, qui uno in loco citat Hygini opus de Virgilio, alio Hygini commentarios in Virgilium, quamvis in ambobus locis eundem librum intelligat. Ita etiam Hygini opus de claris viris, quod Asconius Pedianus commemorat, minime diversus habendus est a Julii Hygini opere De illustribus viris, quod a Gellio commemoratur. Praeterea, si Asconius librum priorem de viris claris citat, minime hisce Gellio, qui sexti libri mentionem facit, repugnat; significatur enim his ejus verbis nón alter liber ex duobus, sed primus ex pluribus. Unde non dubitandum videtur, quin Asconius illo loco Hyginum, Augusti libertum, intelligat.

Item procul dubio fragmentum, quod apud Gellium VII, 1 legitur, huic ejus operi assignandum est (cf. frgm. 3). Citat quidem illo loco Gellius Hyginum De vita et rebus Africani, probabile tamen est, his verbis nonnisi partem operis De viris illustribus designari.

Apparet tamen ex fragmentis allatis, Hyginum in hoc opere non solum protulisse historiam, quam dicunt, pragmatico-criticam, sed etiam narrationes fabulosas et miraculosas, quae aut in hominum ore circumferebantur, aut in scriptis traditae fuerant. Atque similis fuisse videtur hic Hygini liber opusculo De viris illustribus urbis Romae, quod nunc Aurelii Victoris nomen praefert; nisi quod in Hygini libro major certe quam apud hunc apparebat copia doctrinae.

## IV. Exemplorum liber.

Hyginum composuisse librum hoc nomine inscriptum, auctor est Gellius in Noct. Att. X, 18 §. 7, ubi haec

leguntur: Exstat nunc quoque Theodectis tragoedia, quae inscribitur Mausolus, in qua eum magis, quam in prosa, placuisse Hyginus in Exemplis refert«.*)

De argumento hic Hygini liber accessisse videtur ad similitudinem ejus libri De viris illustribus, quem alio in loco a Gellio commemoratum invenimus. Quid enim aliud Exemplorum liber continere potuit, quam dicta factaque memorabilia, virtutum ac vitiorum diversa exempla? Attamen non puto, Exemplorum librum eundem habendum esse cum libro de viris illustribus; dilucide enim Gellius etiam Cornelii Nepotis Exemplorum librum (cf. Gell. VII, 18, 11) ab ejus libro de viris illustribus (cf. Gell. XI, 8, 5) distinguere videtur. Quod vero si statuimus, quaeri potest, quaenam differentia inter libros illos interfuerit; quam quaestionem ita solvendam puto, ut sumamus, inter Exemplorum libros Nepotis et Hygini eorumque de viris illustribus libros talem fere intercessisse differentiam, qualis e. gr. inter Nepotis opus servatum, et Valerii Maximi libellum intercedit.

## V. De familiis Trojanis.*)

Commemoratur hic Hygini liber a Servio ad Aen. V, 389, cujus verba haec sunt: sane sciendum, hunc (En-

*) Verba Hygini: in prosa« intelligenda sunt, ut ex Gellii verbis antecedentibus cerni potest, de oratione, quam habuerat Theodectes ad Mausoli sepulcrum. Est autem hic Theodectes nemo alius nisi Phaselita ille, qui fuit Aristotelis discipulus et tragicus poeta Alexandrinus (cf. Athenaeus X, 451, e. f.; X, 454, e. f.; XIII, 566, e.). Teste Athenaeo, scripsit etiam tragoediam, Oedipi nomine inscriptam, magnamque nominis famam nactus est griphis solvendis.

**) Probabile mihi esse videtur, Hyginum in hoc libro quum aliis nobilibus gentibus Romanorum, tum inprimis Juliae

tellum) secundum Hyginum, qui de familiis Trojanis scripsit, unum Trojanorum fuisse; de quo Virgilius mutuat historiam«.

Dilucide ex hoc loco apparet, Virgilium, quem supra inter Hygini amicos nominavi, in componendis suis operibus Hygini libris usum esse (de qua re Servius accuratiora comperta habere potuit), eumque inprimis in Aeneide scribenda Hygini de familiis Trojanis libellum ante oculos habuisse. Quod vero si pro certo haberi potest, sumere etiam possumus, opus illud Hygini ante annum 735 U. c., quo Virgilius moriens Aeneidem imperfectam Plotio Tuccae et L. Vario, ut emendarent eam ederentque, tradidisse dicitur, scriptum fuisse. Praeterea probabile esse puto, Hyginum, quem etiam in aliis libris conficiendis Varronis operibus usum esse comperimus (cf. Ascon. Pedianus loco, quem antea, ubi de Hygini libro De vita rebusque illustr. virorum egi, commemoravi), in componendo libello de fam. Troj. Varronis de eadem re opere (quod a Servio ad Aen. V, 704 citatur) usum esse. *)

## VI. De diis penatibus.

Hyginum composuisse librum hoc nomine inscriptum, testis est Macrobius in Saturn. III, 4, ubi haecce legun-

gentì, quacum arcte conjunctus erat, adulatum esse, eo quod originem earum a familiis Trojanis repetendam esse demonstrabat. Gens Julia, ut constat, valde gloriabatur, se originem ducere ab Julo, Aeneae filio; maximeque Augusti mater hac origine superbiisse dicitur.

*) Varronis et Hygini de familiis Trojanis libris forsitan usus est Festus (vel, quem ille exscripsit, Verrius Flaccus), qui in libro de signif. verborum saepius Trojanas familias commemorat.

tur: Sed et Virgilius, ubi ex persona Hectoris dixit (Aen. II, 293):

Sacra suosque tibi commendat Troja Penates - mox subjicit:

Sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem,

Aeternumque adytis effert penetralibus ignem" addidit Hyginus in libro, quem de diis Penatibus scripsit, vocari eos θεοὺς πατρῴους. Sed nec hoc Virgilius ignoratum reliquit:

Dii patrii, servate domum, servate nepotes (Aen. II, 702) et alibi (Aen. II, 717): patriique Penates.

## VII. De proprietatibus deorum.

### Frgm. 1.

Commemorat hunc librum Macrobius in Saturn. II, 8 (p. 433 ed. Zeune), hisce verbis utens: Hoc quoque de prudentia religionis a Virgilio dictum est: Decidit exanimis vitamque reliquit in astris Aëriis — — — (Aen. V, 517). Higinus enim de proprietatibus deorum, ubi de astris ac stellis loqueretur, ait oportere his volucres immolari. Docte ergo Virgilius dixit, apud ea numina animam volucris remansisse quibus ad litandum data sit.

### Frgm. 2.

Praeterea ad hunc librum pertinere puto, quae a Nonio Marcello (ed. Gerlach et Roth, Basil. 1842, p. 355) s. v. Picumnus afferuntur. Picumnus, inquit, et avis est Marti dicata, quam picum vel picam vocant, et deus, qui sacris Romanis adhibetur. Aemilius Macer in theogoniae lib. 1.: et nunc agrestis inter Picumnus habetur. Higinus: est parra veste, picus Martis.

Secundum Macrobii locum prolatum videtur Hyginus etiam astronomiae studio incubuisse; quae res maxime

propterea notanda est, quod Astronomicon Poeticon libri, qui vulgo hujus Hygini esse dicuntur, eandem disciplinam amplectuntur. Attamen ex hoc Macrobii loco de illis libris conclusionem facere adhuc nondum audeo.

## VIII. De apibus.

### Frgm. 1.

Columella de re rust. IX, 11, 5 „Hyginus quoque, auctoritatem Graecorum sequens, negat ex vermiculo, ut caeteras apes, fieri ducem, sed in circuitu favorum paulo maiora, quam sint plebeii seminis, inveniri recta foramina repleta quasi sorde rubri coloris, ex qua protinus rex alatus figuretur. *)

### Frgm. 2.

Columella IX, 13, §. 3 sq. (ubi sermo est de remediis apum morbo laborantium) „Nam illud, quod Hyginus antiquos secutus auctores prodidit, ipse non expertus asseverare non audeo: volentibus tamen licebit experiri. Siquidem praecipit, apium corpora, quae cum eiusmodi pestis incessit, sub favis acervatim enectae reperiuntur, sicco loco per hiemem reposita circa aequinoctium vernum, cum clementia diei suaserit, post horam tertiam in solem proferre, ficulneoque cinere obruere. Quo facto, affirmat intra duas horas cum vivido halitu caloris ani-

*) Non male conjecit Schneiderus ad Colum. l. l., Hyginum hunc locum ex Aristotelis Hist. animal. V, 19 desumsisse, ubi haec leguntur: *ὁ δὲ τῶν βασιλέων γόνος τὴν χρόαν γίνεται ὑπόπυῤῥος, τὴν δὲ λεπτότητα ἐστὶν οἷον μέλι παχὺ, τὸν ὄγκον δὲ εὐθέως ἔχει παραπλήσιον τῷ γενομένῳ ἐξ αὐτοῦ· σκώληξ δέ οὐ γίνεται πρότερον ἐκ ταύτου, ἀλλ' εὐθέως ἡ μέλιττα φαίνεται.*

matae sunt, resumpto spiritu, si praeparatum vas obiiciatur, irrepere. *)

Frgm. 3.

Columella IX, 13, 6 (ubi sermo est de eo, quid sit praebendum apibus morbo laborantibus) „Nonnulli rorem marinum aqua mulsa decoctum, cum gelaverit, imbricibus infusum praebent libandum, quidam bubulam vel hominis urinam, sicut Hyginus affirmat, alvis apponunt.

Frgm. 4.

Columella IX, 13, 8 „Hyginus quidem in eo libro, quem de apibus scripsit, Aristomachus, inquit, hoc modo succurrendum laborantibus existimavit: primum, ut omnes vitiosi favi tollantur, et cibus ex integro recens ponatur; deinde ut fumigentur. Prodesse etiam putat apibus vetustate corruptis examen novum contribuere, quamvis periculum sit, ne seditione consumantur, verumtamen adjecta multitudine laetaturas; sed ut concordes maneant, earum apium, quae ex alio domicilio transferuntur, quasi peregrinae plebis, submoveri reges debere.

Frgm. 5.

Columella IX, 14, 1–19 (quo loco exponitur, quid quovis tempore faciant apes, quidque earum curator facere debeat) „Deinceps illa totius anni cura, ut idem Hyginus commodissime prodidit. Ab aequinoctio primo, quod mense Martio circa VIII Calendas Aprilis in octava parte arietis conficitur, ad exortum Vergiliarum dies

*) Quod Hygini praeceptum procul dubio respicit Plinius in Hist. nat. XI, 20 hisce verbis »Sunt qui mortuas, si intra tectum hieme serventur, deinde sole verno torreantur, ac ficulneo cinere toto die foveantur, putant reviviscere.

verni temporis habentur duodequinquaginta. Per hos primum ait apes curandas esse adapertis alveis, ut omnia purgamenta, quae sunt hiberno tempore congesta, eximantur, et ut araneis, qui favos corrumpunt, detractis, fumus immittatur factus incenso bubulo fimo. Hic enim quasi quadem cognatione generis maxime est apibus aptus. Vermiculi quoque, qui tineae vocantur, et item papiliones enecandi sunt: quae pestes plerumque favis adhaerentes decidunt, si fimo medullam bubulam misceas, et his incensis nidorem admoveas. Hac cura per id tempus, quod diximus, examina firmabuntur, eaque fortius operibus inservient. Verum maxime custodiendum est curatori, qui apes nutrit, cum alvos tractare debebit, ut pridie castus sit ab rebus venereis, neve temulentus, nec nisi lotus ad eas accedat, abstineatque fere ab omnibus redolentibus esculentis, ut sunt salsamenta, et eorum omnia liquamina; itemque foetentibus acrimoniis allii vel ceparum, ceterarumque rerum similium. Duodequinquagesimo die ab aequinoctio verno, cum fit Vergiliarum exortus, circa V Idus Maias, incipiunt examina viribus et numero augeri. Sed et iisdem diebus intereunt, quae paucas et aegras apes habent. Eodemque tempore progenerantur in extremis partibus favorum amplioris magnitudinis foetus, quam sint ceterae apes, eosque nonnulli putant esse reges. Verum quidam Graecorum auctores *οἴστρους* appellant ab eo, quod exagitent, neque patiantur examina conquiescere. Itaque praecipiunt eos necari. Ab exortu Vergiliarum ad solstitium, quod fit ultimo mense Junio, circa octavam partem Cancri, fere examinant alvi: quo tempore vehementius custodiri debent, ne novae suboles diffugiant. Tuncque peracto solstitio, usque ad ortum Caniculae, qui fere dies triginta sunt, pariter frumenta et favi demetuntur. Sed ii quemadmodum tolli debeant, mox deinde,

cum de confectura mellis praecipiemus. Ceterum hoc eodem tempore progenerari posse apes juvenco peremto, Democritus et Mago, nec minus Virgilius, prodiderunt. Mago quidem ventribus etiam bubulis idem fieri affirmat. Quam rationem diligentius persequi supervacuum puto, consentiens Celso, qui prudentissime ait, non tanto interitu pecus istud amitti, ut sic requirendum sit. Verum hoc tempore, et usque in auctumni aequinoctium decimo quoque die alvi aperiendae sunt, et fumigandae. Quod cum sit molestum examinibus, saluberrimum tamen esse convenit. Suffitas deinde et aestuantes apes refrigerare oportet, conspersis vacuis partibus alvorum, et quam recentissimi rigoris aqua infusa: deinde, si quid ablui non poterit, pinnis aquilae, vel etiam cuiuslibet vastae alitis, quae rigorem habent, emundari. Praeterea ut tineae, si apparuerint, everrantur, papiliones enecentur, qui plerumque inter alvos morantes apibus exitio sunt. Nam et ceras erodunt, et stercore suo vermes progenerant, quos alvorum tineas appellamus. Itaque quo tempore malvae florent, cum est eadem maxima multitudo, si vas aeneum simile miliario vespere ponatur inter alvos, et in fundum eius lumen aliquod demittatur, undique papiliones concurrunt: dumque circa flammulam volitant, aduruntur, quod nec facile ex angusto sursum evolare, nec rursus longius ab igne possunt recedere, cum lateribus aeneis circumveniantur: ideoque propinquo ardore consumuntur. A Canicula fere post diem quinquagesimum Arcturus oritur, cum irroratis floribus thymi, et cunilae, thymbraeque, apes mella conficiunt: idque optimae notae enitescit auctumni aequinoctio, quod est ante Kalend. Octobris, cum octavam partem Librae sol attigit. Sed inter Caniculae et Arcturi exortum cavendum erit, ne apes intercipiantur violentia crabronum, qui ante alvearia

plerumque obsidiantur prodeuntibus. Post Arcturi exortum circa aequinoctium Librae (sicut dixi) favorum secunda est exemtio. Ab aequinoctio deinde, quod conficitur circa VIII Calend. Octobris, ad Vergiliarum occasum diebus XL, ex floribus tamaricis, et silvestribus frutetis apes collecta mella cibariis hiemis reponunt. Quibus nihil est omnino detrahendum, ne saepius iniuria contristatae, velut desperatione rerum profugiant. Ab occasu Vergiliarum ad brumam, quae fere conficitur circa VIII Kalend. Januarii, in octava parte Capricorni, iam recondito melle utuntur examina, eoque usque ad Arcturi exortum sustinentur. Nec me fallit Hipparchi ratio, quae docet, solstitia et aequinoctia non octavis, sed primis partibus signorum confici. Verum in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi et Metonis, antiquorumque fastus astrologorum, qui sunt aptati publicis sacrificiis: quia et notior est ista vetus agricolis concepta opinio; nec tamen Hipparchi subtilitas pinguioribus, ut aiunt, rusticorum litteris necessaria est. Ergo Vergiliarum occasu primo statim conveniet aperire alvos, et depurgare, quidquid immundi est; diligentiusque curare, quoniam per tempora hiemis non expedit movere aut patefacere vasa. Quam ob causam dum adhuc auctumni reliquiae sunt, apricissimo die purgatis domiciliis opercula intus usque ad favos admovenda sunt, omni vacua parte sedis exclusa, quo facilius angustiae cavearum per hiemem concalescant. Idque semper faciendum est etiam in iis alvis, quae paucitate plebis infrequentes sunt. Quidquid deinde rimarum est, aut foraminum, luto et fimo bubulo mixtis illinemus extrinsecus, nec nisi aditus, quibus commeent, relinquemus. Et quamvis porticu protecta vasa, nihilo minus congestu culmorum et frondium supertegemus, quantumque res patietur, a frigore et tempestatibus muniemus. Quidam

exemtis interaneis occisas aves intus includunt, quae tempore hiberno plumis suis delitescentibus apibus praebent teporem: tum etiam, si sunt absumta cibaria, commode pascuntur esurientes, nec nisi ossa earum relinquunt. Sin autem favi sufficient, permanent illibatae. Nec quamvis amantissimas munditiarum offendunt odore suo. Melius tamen esse nos existimamus, tempore hiberno fame laborantibus ad ipsos aditus in canaliculis vel contusam et aqua madefactam ficum aridam, vel defrutum aut passum, praebere. Quibus liquoribus mundam lanam imbuere oportebit, ut insistentes apes quasi per siphonem succum evocent. Uvas etiam passas, cum infregerimus, paulum aqua respersas probe dabimus. Atque his cibariis non solum hieme, sed etiam, quibus temporibus (ut iam supra dixi) tithymallus, atque etiam ulmi florebunt, sustinendae sunt. Post confectam brumam diebus fere quadraginta, quidquid est repositi mellis (nisi liberalius a curatore relictum sit) consumunt, et saepe etiam vacuatis ceris usque in ortum Arcturi, qui est ab Idibus Februariis, ieiunae favis accubantes torpent more serpentum, et quiete sua spiritum conservant: quem tamen ne amittant, si longior fames incesserit, optimum est, per aditum vestibuli siphonibus dulcia liquamina immittere, et ita penuriam temporum sustinere, dum Arcturi ortus et hirundinis adventus commodiores polliceantur futuras tempestates. Itaque, post hoc tempus, cum diei permittit hilaritas, procedere audent in pascua. Nam ab aequinoctio verno sine cunctatione iam passim vagantur, et idoneos ad foetum decerpunt flores, atque intra tecta comportant. Haec observanda per anni tempora diligentissime Hyginus praecipit."

Frgm. 6.

Plinius, Hist. nat. XX, 11 "Apiastrum Hyginus

quidem melissophyllon appellat. Sed in confessa damnatione est venenatum in Sardinia".

Mirum me habuit eos, qui Hygini opera enumeraverunt (ex quibus Nicol. Antonium l. l. excipio) librum ejus De apibus non nominasse. Videntur illi homines docti censuisse (quod etiam Suringarius l. l. p. 173 sumit) Hygini librum de apibus nonnisi partem fuisse operis de re rustica, quod eum scripsisse infra statim demonstrabimus. Atque revera, si consideras, inter alios Columellam, quae de apibus scripsit, in libro suo de re rust, protulisse, facile eo in sententiam adduci possis, etiam Hyginum separato volumine de apibus non egisse. Attamen quum uno in loco Columellae (IX, 13, 8) distincte commemoretur talis Hygini liber, apparet, de Hygino statui illud non posse.

Praeter fragmenta autem hujus libri supra allata apud Columellam etiam judicia nonnulla de eodem leguntur, quae magni momenti mihi esse videntur. Primum huc referendus est Columellae locus, qui invenitur lib. IX, cp. 2 §. 1, ubi haec leguntur: Venio nunc ad alvorum curam, de quibus neque diligentius quidquam praecipi potest, quam ab Hygino iam dictum est, nec ornatius, quam Virgilio, nec elegantius quam Celso. Hyginus veterum auctorum placita secretis dispersa monumentis industrie collegit: Virgilius poeticis floribus illuminavit: Celsus utriusque modi adhibuit modum". *)

Praecepta itaque permulta hoc Hygini opus continebat, et de multitudine rerum Columella illud omnibus aliis praeferendum esse censet. Quodsi vero Columella

*) Pomponius Sabinus, qui ad Georg. Virg. IV, 149 similiter de Hygino judicat, hunc Columellae locum ante oculos habuit.

dicit, Hyginum ex secretis veterum monumentis hausisse, procul dubio in eo hominis doctissimi studiorum rationem cognoscere possumus, et comparari potest in hac re Hyginus cum Alexandro Polyhistore, qui etiam scriptoribus obscurissimis,* de quibus nos nihil fere nisi nomen scimus, in scribendis suis operibus usus esse traditur.

Praeterea ad indolem hujus libri cognoscendam lectione digna et ea sunt, quae a Columella lib. IX, cp. 2 §. 2 sqq. afferuntur. Atque ea, inquit, quae Hyginus fabulose tradita de originibus apum non intermisit, poeticae magis licentiae quam nostrae fidei concesserim." — Item in iis Hyginum ex parte respicere videtur Columella, quae inde ab his verbis sequuntur usque ad caput tertium. Pergit vero sic: Nec sane rustico dignum est sciscitari, fueritne mulier pulcherrima specie Melissa, quam Jupiter in apem convertit, an (ut Euhemerus poeta dicit) crabronibus et sole genitas apes, quas nymphae Phryxonides educaverant, mox Dictaeo specu Jovis exstitisse nutrices, easque pabula munere dei sortitas, quibus ipsae parvum educaverant alumnum. Ista enim, quamvis non dedeceant poetam, summatim tamen et uno tantum versiculo leniter attigit Virgilius, cum sic ait: Dictaeo coeli regem pavere sub antro. Sed ne illud pertinet ad agricolas, quando et in qua regione primum natae sint: utrum in Thessalia sub Aristaeo, an in insula Cea, ut scribit Euhemerus, an Erechthei temporibus in monte Hymetto, ut Euthronius, an Cretae Saturni temporibus, ut Nicander: non magis quam utrum examina, tanquam cetera videmus animalia, concubitu subolem procreent, an haeredem generis sui floribus eligant, quod affirmat noster Maro: et utrum evomant liquorem mellis, an alia parte reddant. Haec enim et his similia magis scrutantium rerum naturae latebras, quam rusticorum est inquirere.' Studiosis quo-

que litterarum gratiora sunt ista in otio legentibus, quam negotiosis agricolis, quoniam neque in opere, neque in re familiari quidquam juvant".

Totum hunc locum adscripsi, quoniam Columella rationem, qua opus illud Hygini scriptum fuerat, paucis indicavit; procul dubio enim ea, quae inde a verbis: Nec sane rustico dignum est sciscitari — — etc. leguntur, ex parte Hygini opus respiciunt. Videtur igitur Hyginus de origine et procreatione apum, aliisque de rebus ad apes spectantibus varias narrationes fabulosas, et veterum auctorum sententias in libro suo protulisse.*) Quo vero studio ductus magna quidem in eo doctrinae documenta dederat Hyginus, multa tamen attulerat, quae agrorum cultoribus nihil prodesse poterant.

Ex fontibus autem, quibus Hyginus in hoc libro componendo usus est, a Columella IX, 13, 8 (cf. frgm. 4) nominatur Aristomachus quidam, quem non diversum habendum esse puto ab Aristomacho Solensi, qui teste Plinio (Hist. nat. XI, 9) duodesexaginta annis nihil fecisse dicitur quam cum Philisco Thasio de apibus scripsisse.

## IX. De re rustica.

### Frgm. 1.

Columella lib. III, cp. 11 §. 18 "Hyginus quidem, secutus Tremellium, praecipue montium ima, quae a verticibus defluentem humum receperint, vel etiam valles, quae fluminum alluvie et inundationibus concreverint, aptas esse vineis asseverat, me non dissentiente".**)

*) Ita fortasse fabulam de Melissa in apem conversa, de qua Columella loco citato loquitur, in libro suo narraverat. Attingit eandem Pseudo-Hyginus fab. 139.

**) De terra vitibus apta simile quid statuitur in Geoponicis,

### Frgm. 2.

Columella XI, 2, 13 „Glandis quoque non inutile est singulis iugis singulos modios dare: nec tamen amplius, ne laborent, nec minus diebus XXX praebueris. Nam si paucioribus diebus datur, ut ait Hyginus, per ver scabiosi fiunt". *)

### Frgm. 3.

Columella XI, 3, 62 „Rapae semina Hyginus putat post trituram, iacentibus adhuc in area paleis, inspergi debere, quoniam fiant laetiora capita, cum subiacens soli duritia non patiatur in altum descendere. **) Nos illud saepe frustra tentavimus: itaque rapum et raphanum et napum melius existimamus subacta terra obrui".

### Frgm. 4.

Plinius, Hist. nat. XIII, 24 „Inventus hic frutex (sermo est de cythiso) in Cythno insula, inde translatus

---

ed. Joh. Nicol. Niclas, V, I, ubi haecce leguntur: καλλίστη δὲ γῆ καὶ ἡ ὑπὸ τῶν ῥεάντων ποταμῶν χωθεῖσα, ὅθεν καὶ τὴν Αἴγυπτον ἐπαινοῦμεν.

*) Idem praecipit, Hyginum sequens, Plinius in Hist. nat. XVIII, cp. 26, cum sic ait: Bubus glandem tunc (scil. brumae tempore) aspergi convenit in juga singula modios. Largior valetudinem infestat, et quocunque tempore detur, si minus XXX diebus continuis data sit, narrant verna scabie poenitere.

**) Ni fallor, Hyginus haec ex Nicandri Georgicis desumsit; ita enim apud Athenaeum lib. IX, p. 369 (ed. Dindorf Tom. II, p. 808): Νίκανδρος δ'ἐν τοῖς Γεωργικοῖς τῆς βουνιάδος μνημονεύει·

Γογγυλίδας σπείροις δὲ κυλινδρωτῆς ἐφ' ἅλωας,
Ὄφρ' ἂν ἴσαι πλαθάνοισι χαμηλότεραι θαλέθωσι.

est in omnes Cycladas, mox in urbes Graecas, magno casei proventu: propter quod maxime miror, rarum esse in Italia. Non aestuum, non frigorum, non grandinum aut nivis injuriam expavescit. Adjicit Hyginus, ne hostium quidem, propter nullam gratiam ligni".

Frgm. 5.

Plinius, Hist. nat. XVI, 43 "Cato vectes aquifolios, laureos, ulmeos fieri jubet. Hyginus manubria rusticis carpinea, iligna, cerrea. Quae in laminas secantur, quorumque operimento vestiatur alia materies, praecipua sunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum, palma, aquifolium, ilex, sambuci radix, populus".

Frgm. 6.

Plinius, Hist. nat. XVIII, 26 "Per brumam vitem ne colito. Vina tum defaecari vel etiam diffundi Hyginus suadet, a confecta ea septimo die, utique si septima luna competat".

Frgm. 7.

Plinius, Hist. nat. XIX, 5 "Lignosiora sunt reliqua, in cartilaginum genere a nobis posita. Mirumque, omnibus vehementiam saporis inesse. Ex iis pastinacae unum genus agreste sponte provenit: staphylinos Graece dicitur. Alterum seritur radice vel semine, primo vere vel autumno; ut Hygino placet, Februario, Augusto, Septembri, Octobri, solo quam altissime refosso".

Frgm. 8.

Plinius, Hist. nat. XXI, 9 "Sunt et alia genera nominibus Graecis indicanda, quia nostris majore ex parte hujus nomenclaturae defuit cura. Et pleraque eorum in exteris terris nascuntur, nobis tamen consectanda, quo-

niam de natura sermo, non de Italia est. Ergo in coronamenta folio venere melothron, spireon, trigonon, cneoron, quod casiam Hyginus vocat: et quod cunilaginem, quae conyza, melissophyllon quod apiastrum, melitoton quod sertulam Campanam vocamus".

Frgm. 9.

Charisius, Inst. gramm. lib. I, p. 115, 7 ed. Putsch "Radicium, Varro Rer. rust. 1 et 3 et Fabianus De animalibus, Radicum genera inquit. Higinius quoque de agricultura secundo, Ab extremis radicum partibus: quod magis cum ratione dici, leges sub littera c."

Hygini de re rust. opus in antiquitate valde aestimatum fuisse, apparet ex Columella, qui lib. I, cp. 1, §. 13, postquam Graecos de re rustica scriptores laudavit, et e Romanis Catonem, duos Sacernas, Tremellium et M. Terentium Varronem, sic pergit: mox Virgilium (sc. memoremus), qui carmine quoque potentem fecit (sc. agricolationem), nec postremo quasi paedagogi ejus meminisse dedignemur Julii Hygini: verumtamen ut Magonem parentem rusticationis veneremur". *) Videtur Hyginus in hoc opere (quod certe plusquam uno libro constabat, nam Charisius citat librum secundum) diversis plantarum ge-

*) Magni momenti est hic locus, quoniam inde apparere videtur, Virgilium in Georgicis scribendis Hygini inprimis opere de re rust., et fortasse etiam ejus libro de apibus usum esse. Quod vero si recte concluserim, conjecturam facere possumus ex his Columellae verbis de tempore, quo ista Hygini opera scripta sint. Quum enim constet, Georgica scribi coepta esse a Virgilio anno 717 U. c., Maecenate flagitante, statuendum est, libros Hygini de re rust. et de apibus ante illud tempus vel certe paulo post compositos fuisse.

neribus, quae apud Romanos nonnisi Graecis nominibus vocabantur, Latina nomina imposuisse (cf. frgm. cit. 8). Ex fontibus autem, quibus Hyginus in scribendo hoc opere usus erat, a Columella III, 11, 18 (cf. frgm. cit. 1) Tremellius quidam nominatur, qui nemo alius est nisi Scrofa Tremellius, qui a Varrone et Columella saepius commemoratur, quemque Cicero amicitia sua dignum habuisse videtur (cf. ad. Att. VI, 1). Praetor fuit anno 696 U. c., et scripsit ante Varronem libros de re rustica, in quibus, teste Columella I, 1, Magonis libris, ex Punico sermone translatis, usus est.

## X. De urbibus Italicis.

### Frgm. 1.

Servius ad Aen. I, 277 „Hoc autem Urbis nomen (sc. arcanum) ne Hyginus quidem, quum de situ Urbis loqueretur, expressit".

### Frgm. 2.

Servius ad Aen. I, 530 „Ceterum Italia Hesperia dicta est a fratre Atlantis, qui Italiam, pulsus a germano, tenuit, eique nomen pristinae regionis imposuit: ut Hyginus docet".

### Frgm. 3.

Servius ad Aen. III, 553 „Caulon est mons Calabriae, ut Horatius: Et amicus Caulon fertilis Baccho. In quo oppidum fuit, quod secundum Hyginum, qui scripsit de situ urbium Italicarum olim, non est".

### Frgm. 4.

Servius ad Aen. VII, 442 „Bene alludit (Virgilius), nam Ardea quasi ardua dicta est: id est magna et nobilis,

licet Hyginus in Italicis urbibus ab augurio avis ardeae [Ardeam] dictam velit. Illud namque in Ovidii Metamorphosi fabulosum est, incensam ab Aenea Ardeam, et in hanc avem conversam. Sciendum tamen, Ardeam κατ' ἀντίφρασιν dictam, quod brevitate pennarum altius non volat".

Frgm. 5.

Servius ad Aen. VIII, 597 "Agylla civitas est Tusciae a conditore [Agella] appellata, cui ex inscitia Romana aliud est inditum nomen. Nam cum Romani euntes per Tusciam interrogarent Agyllinos, quae diceretur civitas, illi utpote Graeci quid audirent ignorantes, et optimum ducentes, si prius eos salutarent, dixerunt χαῖρε, quam salutationem Romani nomen civitatis esse putaverunt, et detracta aspiratione eam Caere nominaverunt, ut dixit Hyginus in urbibus Italicis".

Frgm. 6.

Servius ad Aen. VIII, 600 "De his (scil. Pelasgis) varia est opinio — — — Hyginus dicit Pelasgos esse, qui Tyrrheni sunt, hoc etiam Varro commemorat".

Frgm. 7.

Servius ad Aen. VIII, 638 "Sabini a Lacedaemoniis originem ducunt, ut Hyginus ait de origine urbium Italicarum, a Sabo, qui de Perside Lacedaemonios transiens ad Italiam venit, et expulsis Siculis tenuit loca, quae Sabini habent".

Frgm. 8.

Macrobius, Sat. I, 7 "Regionem istam, quae nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit. Qui ut Hyginus Protarchum Trallianum secutus tradit, cum Camesene

aeque indigena terram hanc ita participata potentia obsidebat, ut regio Camesene, oppidum Janiculum vocitaretur.*) Post ad Janum solum regnum redactum est: qui creditur geminam faciem praetulisse, ut quae ante, quaeque post tergum essent, intueretur. Quod procul dubio ad prudentiam regis sollertiamque referendum est, qui et praeterita nosset, et futura prospiceret; sicut Antevorta et Postvorta, divinitatis scilicet aptissimae comites, apud Romanos coluntur".

Frgm. 9.

Macrobius, Sat. V, 18 "Et Hernicum quidem hominem Pelasgum ducem Hernicis fuisse, Julius Higinus in libro secundo urbium non paucis verbis probat".**)

Geographicum Hygini opus, ex quo fragmenta servata sunt a Servio et Macrobio, inscriptum fuisse puto De urbibus Italicis. Servius quidem in nonnullis locis citat Hyginum de situ urbium Italicarum, in aliis de origine urbium Italicarum; probabile tamen mihi esse videtur, eum hisce verbis nonnisi partes operis Hygini de urbibus Italicis respicere. Cui sententiae etiam ea favere videntur, quae apud Serv. ad Aen. VII, 687 leguntur: De ci-

*) Camesen Jani fratrem fuisse, etiam Cato memoriae prodidit; alii contra scriptores tradunt, Camesenem sororem et uxorem Jani fuisse. (Exposuit has narrationes Fr. Creuzer in libro Symbolik et Mythologie inscripto, Tom. II, p. 896 sqq. (edit 2.).

**) Hygini sententiam, Hernicos a Pelasgis originem duxisse, non immerito improbavit Niebuhrius (Römische Gesch., 3te Ausg. Bd. I, p. 113). Videntur enim dicti potius esse a Marsica et Sabina voce hernae, qua rupes significantur; quoniam in praecipitibus locis sedes suas exstruxerant; ideoque probabilius est, Hernicos Sabellis adnumerandos esse; id quod alii scriptores produnt.

vitatibus, inquit, totius orbis multi quidem ex parte scripserunt; ad plenum tamen Ptolemaeus Graece, Latine Plinius; de Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in Originibus". Aliam de hac re sententiam protulit Joh. Schefferus, Argentoratensis, in dissert. de Hygini scriptoris fabularum aetate atque stilo. Is enim censet, Hygini librum de urbibus Italiae nonnisi partem fuisse operis majoris, De urbibus inscripti, Hyginumque igitur non de urbibus unius tantum terrae, sed omnium, quorum poterat notitiam habere, scripsisse. Adductus est ad hanc sententiam eo, quod quae a Plinio in Hist. nat. libro quarto, quinto et sequentibus usque ad librum septimum proferuntur, in quibus omnibus Hygini libris sese usum esse testatur (scilicet in indice auctorum, qui toti operi praemissus est), nihil commune habent cum Italia. Mihi tamen haec sententia non probanda videtur. Nam etsi Hygini nomen in indice ad illos libros Plinii, in quibus de situ regionum agitur, saepius commemoratur, tamen, quoniam loci ipsi, in quibus Hyginum in illis libris citasse videtur Plinius, nunc non comparent, statui non potest, de quanam re Hyginum citaverit. Potuit autem Plinius, qui saepissime de rebus levissimis auctores citat, etiam Hyginum in illis locis de rebus ad rem primariam, quam tractabat, non spectantibus citare. Huc accedit, quod Servius, qui Hygini librum de Italicis urbibus saepius commemorat, libri De urbibus nusquam mentionem facit. Immo in annot. ad Aen. VII, 687 (quem locum antea attuli) Servius tradit, Hyginum non de civitatibus totius orbis, sed de Italicis tantum urbibus scripsisse. Macrobius quidem V, 18 (cf. frgm. cit. 9). Hygini librum secundum urbium commemorat, sed optime potuit Macrobius hac inscriptione librum de Ital. urbibus designare.

Opus vero illud Hygini clarum et aestimatum fuisse, colligi potest ex Servio (ad Aen. VII, 678), qui illud cum Catonis Originibus componit. Atque videtur Servius, ubi de situ vel regione loci alicujus Italici agit, uti ad Varronem et Catonem, ita saepe etiam ad Hyginum confugisse. Quemadmodum autem in Alexandri Polyhistoris libro Ἰταλικὰ ἀπομνημονεύματα inscripto multa fabulosa, inprimis de origine urbium et populorum, tradita fuisse videntur, sic etiam de Hygini libro de Italicis urbibus summo jure statui hoc potest. Ambo enim viri non abhorruerunt a perverso illo studio (cui omnino doctissimos et Romanos, et Graecos, qui de rebus Romanis scripserunt, incubuisse scimus *), quo ducti Romanorum instituta, ritus sacros, historias et mythos ad Graecos referre atque ex Graecorum moribus et opinionibus illustrare solebant; qua quidem re, sicuti etiam ineptis ac pravis etymologiis, **) mythi et historiae Latinae miro

*) In horum numerum referendi sunt Diocles Peparethius, Q. Fabius Pictor, L. Cincius, Cato, Varro, alii (cf. Heyne, exc. 4 ad Aen. VII).

**) Studium, quod in verborum originibus indagandis et explicandis versatur, jam a Graecis parum ad grammatices et linguarum leges tractatum est, inter Romanos autem meris sonorum lusibus continebatur, quod e Catone, Cicerone, Varrone et aliis constat. (Sic. Jos. Scaliger conjectaneis suis in Varronem indicem copiosum addidit earum vocum, quarum etymon perperam a Varrone indicatum est p. 276 edit. Bipont.). Inprimis autem in nominibus urbium et populorum explicandis perversum illud studium cernebatur; de quibus innumerae res perridiculae a veteribus scriptoribus prolatae sunt (Nonnulla de hac re annotavit Carol. Knies in diss. inaug. De Praeneste oppido, Rintelii 1846, p. 6 sq.). Nec permirum hoc nobis videri potest, si reputamus, etiam recentiorum temporum historiographos valde nonnunquam in his rebus alucinatos esse.

sane modo corrupta sunt. Ut pauca exempla afferam, Hyginus affirmavit, Sabinos a Lacedaemoniis originem ducere, a Sabo quodam, qui antiquissimis temporibus Italiam veniens Sabinorum regiones tenuerit (cf. frgm. 7). Simili modo Hernicos ab Hernico, Pelasgo quodam homine, dictos voluit (cf. frgm. 9). Ardeam, Rutulorum urbem, quae nomen cum ardea ave commune habet, ab augurio hujus avis dictam censuit (cf. frgm. 4); nec minus absurda sunt, quae de nomine urbis Caere statuit (cf. frgm. 5). Prorsus similia vero ab Alexandro Polyhistore prolata esse, plurimis exemplis probari potest; (cf. v. c. Steph. Byzant. s. v. *Δαίδαλα*, *Ἰουδαία*, *Μαρσύα*, *Μητρόπολις*, *Τάρσος*) nec huic cederunt inventionibus etymologicis Hygini amici, Ovidius et Julius Modestus.

Inter fontes, quibus usus est Hyginus in hoc libro componendo, a Macrobio (cf. frgm. 8) Graecus quidam homo, Protarchus Trallianus, refertur. Praeterea eum usum esse conjicio L. Cornelii Alexandri opere *Ἰταλικὰ ἀπομνημονεύματα* inscripto, et Catonis Originibus (quorum liber secundus et tertius continebat, unde quaeque civitas orta esset in Italia — cf. Corn. Nepos in Catone cp. 3). Quoniam autem Hyginus in iis, quae de origine urbium Italicarum tradidit, simili modo ut Cato et Varro, Graecos inprimis scriptores, qui de rebus Italicis multa fabulati erant, secutus, et pravis etymologiis saepissime in errores inductus esse videtur, vix habemus, cur interitu hujus libri doleamus. Quod etiam Niebuhrius indicavit (Röm. Geschichte, Th. 1 p. 13 edit. cit.), qui de hoc libro haecce disseruit: „Ovidius Altersgenoss und Freund Julius Hyginus schrieb über die Gründung der italischen Städte ohne Kritik, und auf sehr junge griechische Schriftsteller bauend, die gar keiner Berücksichtigung

werth gewesen wären. Dennoch ist er von den Grammatikern viel gebraucht worden, und schon von Plinius: in dessen Beschreibung Italiens mehreres aus dieser trüben Quelle geflossen ist".

---

Haec sunt scripta atque fragmenta, quae sine dubio Hygino, Augusti liberto, assignanda esse censeo. Scriptorum igitur, quae Hyginus composuit, omnino quatuor sunt genera. Primo loco scripsit commentarios in poetas, tum diversa opera historici, et mythico-historici, ut ita dicam, argumenti, praeterea libros ad rem rusticam pertinentes, denique unum opus geographicum. Eum etiam singulares libellos de rebus ad astronomiam spectantibus scripsisse, nullo modo satis probari potest; in aliis tamen libris, ut de proprietatibus deorum (cf. quae supra de hoc libro disputavi), etiam astronomiae cognitionem suam in transitu ostendisse videtur.

Dilucide autem ex fragmentis allatis apparere mihi videtur, Hyginum magna doctrinae copia, sententiarum perspicuitate, Graecae et Latinae linguae eximia peritia, sermonis elegantia, rerumque, quas persecutus est, justa brevitate excelluisse; ideoque inter scriptores aevi Augustei non ultimum tenuisse videtur locum.

## Epimetrum I.

Priusquam tamen finem huic commentationi imponam, commemorare placet etiam locum, qui in carmine quodam Pontii Meropii Aniceti Paulini, episcopi Nolani, invenitur (edid. Ludov. Anton. Muratori, Veronae 1736,

p. 706). Verba, quae intelligo, haec sunt (cf. Poema ultimum v. 127 sqq. *)):

Quid loquar et Vestam, quam se negat ipse Sacerdos
Scire quid est? Imisque tamen penetralibus intus
Semper inexstinctus servari fingitur ignis.
Cur Dea, non Deus est? Cur ignis femina fertur?
Ista quidem mulier, sicut commendat Hyginus,
Stamine prima novo vestem contexuit olim
Nomine de proprio dictam, quam tradidit ipsa
Vulcano, qui tunc illi monstrarat opertos
Custodire focos. Hic rursum munere laetus
Obtulit hanc Soli, per quem deprenderat ante
Martis adulterium. Nunc omnis credula turba
Suspendunt Soli per Vulcanalia vestes.

Apparere videtur ex hoc carmine (quod scriptum est fortasse anno 394 vel 395 p. Chr. n. — cf. Murat. p. 690), opera nonnulla Hygini seculo quarto p. Chr. adhuc exstitisse; difficile tamen est dictu, ex quonam Hygini libro versificator Christianus illa hauserit, quoniam, ut supra vidimus, Hyginus fere in omnibus, quos composuit, libris res mythologicas et narrationes fabulosas protulisse videtur. De argumento autem hujus carminis, quod constat ex 254 versibus, haecce monenda sunt. Initio carminis Paulinus Judaeorum caerimonias et credulitatem exprobrat, tum vero in theologiam gentilem acri studio invehitur, simulque religionem Christianam propter simplicitatem commendat.

## Epimetrum 2.

*Index auctorum, quibus C. Julius Hyginus usus esse videtur.*

1) Alexander Polyhistor (cf. Sueton. de ill. gramm. cp. 20).

*) In aliis Paulini editionibus, ut in ea, quae prodiit Parisiis 1685, hoc carmen non invenitur.

2) Aristomachus (cf. Colum. de re rust. IX, 13, 8).

3) Aristoteles (cf. Colum. IX, 11, 5 et Aristot. hist. animal. V, 19).


4) Nicander (cf. Colum. XI, 3, 62 et Athenaeus IX, p. 369, b).


5) Protarchus Trallianus (cf. Macrob. Sat. I, 7).

6) Tremellius Scrofa (cf. Colum. III, 11, 18).

7) Theodectes (cf. Gell. N. Att. X, 18, 7).

8) M. Ter. Varro (cf. Ascon. Pedianus ad Ciceronis orationem in L. Pisonem, edit. Lugd.-Bat. 1675, p. 164).






PA6445
H8B7
Bünte
219503

